HIERONYMI TARTAROTTI ROBORETANI

De Verſione Rufiniana Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii Cæſarienſis

DISSERTATIO,

In qua Valeſianæ Interpretationis dignitas & præſtantia vindicatur.

TRIDENTI
MDCCXLVIII.

Apud Joannem Baptiſtam Paroni Typogr. Epiſc.
SUPERIORUM PERMISSU.

Celsissimo, & Reverendissimo Viro

JOSEPHO MARIÆ
DE COMITIBUS A THUN
GURCENSIUM EPISCOPO, AC PRINCIPI

Hieronymus Tartarottus
felicitatem.

EA est humanæ intelligentiæ imbecillitas, CELSISSIME PRINCEPS, *ut non illa modo, quæ*

veri speciem aliquam præ se ferunt, sed illa etiam, quæ penitus falsa sunt, pro veris habere soleat: quippe quæ tantis ignorantiæ tenebris circumsepta, iis vero præsidiis, quibus certa ab incertis separantur, propemodum destituta, veri umbram pro vero amplectitur; vanaque imagine decepta, in ea facile conquiescit, eique firmissime adhæret. Quod quidem non in iis duntaxat evenire videmus, quæ natura secretioribus suis penetralibus abdidit: illa etiam ipsa, quæ ab hominibus vel dicta, vel facta sunt, sæpe tam gravibus difficultatibus implicantur, ut quid eorum haberi verum debeat, quid contra, minime appareat. Hinc sane Historia universa tot tantisque sententiarum inter se pugnantium ambagibus, tam variis multiplicibusque opinionum nexibus, tamquam compedibus detinetur, ut quo tuto progrediendum sit, dignosci vix possit; sæpissime vero quid de unaquaque re apud te statuas, prorsus ignores. Fuere quidem, neque

nunc desunt, præstantissimo ingenio viri, qui singulari quadam, ac prope divina præditi judicandi vi, inter tot rerum verisimilium quasi nebulas, excellenti, quo præditi sunt, mentis lumine, vera a falsis, certa ab incertis felicissime haud raro sejungunt. Sunt & alii, quibus licet veritatis adyta intime penetrare multo sit operosius, non omnibus tamen adjumentis ad eam detegendam destituti censeri debeant. Sunt denique infimi subsellii homines, qui mentis caligine, veluti velo obducto, ita præpediuntur, ac pæne obcæcantur, ut in veritate perquirenda nihil omnino videant. Verum quum illi ipsi, quos loco postremo nominavi, sibi primas definiendi partes non raro tribuant, sibique supra alios sapere videantur: unusquisque vero pro modulo suo satis virium se habere putet, quo & veritatem attingat, & de ea rectissime judicet; præteritarum rerum cultores acerbissime inter se quotidie digladiari videmus, mutuisque sese ictibus, ac vulne-

ribus

ribus petere: totum vero Historiæ corpus immensa quadam subtilium & spinosarum quæstionum multitudine jam ita obrui, ut sub tanto fatiscens pondere, vix demum consistat. In hoc porro vastissimo quasi campo cursum mihi quoque aliquem præfinivi, quo scilicet vires meas, quamquam infirmas, experirer quodammodo, & excitarem; atque hoc illud est, quod nunc, CELSISSIME PRINCEPS, *tuos ante occulos statuo, tibique legendum propono. Quam quidem opportunitatem eo sum libenter amplexus, quod tibi, a gravissimis, quibus assidue distineris, Ecclesiæ tuæ occupationibus quiete aliqua ac remissione concessa, non injucundum fore putavi ad hæc amœniora aliquando divertere, ut scilicet animum pluribus laboribus fessum, reficeres quodammodo, ac recreares. Neque una caussa fuit, quæ me impulit, ut opellam hanc meam tibi potissimum offerrem, tuoque Nomini clarissimo inscriptam evulgarem. Primo enim ad Criticen, &*

Hi-

Historiam cum Litterariam, tum Ecclesiasticam tota ferme hæc disceptatio refertur: quarum quidem disciplinarum Tu adeo studiosus es, ut quum Romæ Sacræ Rotæ Auditoris, nec non pro Invictissima Hungariæ, & Bohemiæ Regina Oratoris munere fungereris, quod a gravioribus curis supererat otii, totum id in Bibliothecis perscrutandis, & præclarissimorum auctorum evolvendis scriptis diligentissime contuleris, eorum præsertim, qui doctorum hominum judicio, majore diligentia ac fide res in Ecclesia universa gestas litteris consignarunt, excusserunt, atque ad trutinam revocarunt. Cujus ego studii quum testis oculatus essem (me enim, quæ tua humanitas est, ad litteraria colloquia identidem admittebas) mirabar prorsus, neque satis capiebam animo, qui fieri posset, ut in homine iis negotiis occupato, quæ prudentia, consilio, rerumque agendarum scientia reguntur, quæque animum ab humanioribus litteris avertere solent;

flo-

florenti adhuc ætate, pæne incredibilis optimorum librorum non solum cognitio, verum etiam lectio; tanta linguarum peritia; tamque exquisita eruditio reperiretur. Quibus egregiis, nostraque hac ætate minus frequentibus, excellentissimi animi dotibus effectum est, ut eadem Regina, quæ quantum sapientia amplissimorum virorum merita potest expendere, tantum clementia remunerari solet, Te illustri hoc, cui præes, Episcopatu libentissime condecoraverit. Deinde vero, quum tota hæc controversia ejusmodi sit, ut facillime dirimi queat, modo æquum rerum æstimatorem habeat, qui rationum momenta eo, quo par est mentis acumine, valeat expendere: ingenii vero tui præstantissima vis, qua de unaquaque re, litteraria præsertim, sapientissime judicas, mihi jandiu perspecta, nunc in omnium oculis plane versetur; nihil antiquius habui, quam ut Te hujus meæ caussæ Judicem advocarem, ratus futurum, ut pro eo quo es

veri-

veritatis amore, posita tantisper animi in me tui propensione, sententiam eam pronuntiares, quam ratio ipsa, & veritas postularent. Hanc ego sententiam si propitiam tandem expertus fuero, nihil mehercule morabor quidquid aut infimi, aut etiam medii subsellii homines de me judicent, illud pro certo habens, eos omnes mecum sensuros, qui vere sapiunt; Teque uno contentus, gratulabor ipsemet mihi, lætaborque, & recte sensisse me, & cuncta sententiæ oppositæ fundamenta penitus evertisse. Sin autem res alio casura sit (neque enim tantum mihi tribuo, ut me quoque veri speciem pro vero ipso amplecti potuisse diffitear) illud saltem consequutus ero, ut publico aliquo signo, quod jampridem flagrantissime cupiveram, omnibus palam fecerim, quæ mea sit de Te opinio, quam præclarum benemerendi desiderium, quanta denique animi reverentia Te colam supra ceteros atque observem. Vale igitur, CELSISSIME

B PRIN-

PRINCEPS, & hoc voluntatis erga Te meæ, qualecumque demum ſit, teſtimonium, pro ea qua es animi magnitudine, atque erga bonas litteras amore, libenter excipe.

Roboreti VII. Kal. Februar. MDCCXLVIII.

CON-

VI

CONSPECTUS
DISSERTATIONIS.

EXordium. *Auctoris finis & institutum*. *I. Status quæstionis*. *Præcipua fundamenta, quibus* P. Cacciarii *sententia nititur*. *II. Præmittuntur ab Auctore positiones quædam adversus eandem*. *Positio prima*. *III.* Justi Fontanini *cavillationes retunduntur*. *IV. Positio secunda*. *V. Positio tertia*. *VI. Positio quarta*. *VII. Positio quinta*. *VIII. Ex præmissis consectaria deducuntur contra* P. Cacciarii *opinationem*. *IX. Eadem evidentius convellitur pluribus exemplis adductis*. *X.* P. Cacciarii *effugium præciditur*. *XI. XII.* Alphonsi Salmeronis *conjectura improbatur*. *XIII. Singula ejusdem* P. Cacciarii *argumenta infirmantur*. *Responsio ad primum*. *XIV. Responsio ad secundum*. *XV.* Joannis Christophorsoni, & Suffridi Petri *palmaris error detegitur*. *XVI. Tertium* P. Cacciarii *argumentum refellitur*. S. Hieronymi *locus explicatur*. *Doctorum virorum calculi circa Rufini Versionem rejiciuntur*.

B 2 XVII.

DE VERSIONE RUFINIANA
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
EUSEBII CÆSARIENSIS
DISSERTATIO.

I. QUanti interſit in hominum factis, rerumque ac temporum viciſſitudinibus eruendis explicandiſque, quo fundamento, quibuſque auctoribus confirmes quidquid aſſerueris, nemo eſt aut in Hiſtorica, aut in Critica arte vel leviter exercitatus, qui ignorare merito poſſit. Scilicet quum Hiſtoria univerſa hominum teſtimonio nitatur; hoc vero ejuſmodi ſit, ut nullum intellectui lumen ac claritatem afferat, voluntatem autem eatenus ad aſſentiendum inclinet, quatenus vel major eſt, vel minor narrantis auctoritas; hinc eſt, ut iis, qui fide apud cunctos potiuntur maxima, firmiter adhæreamus, ſecus vero accidat, ſi vulgo le-

levior & exigua sit hominis existimatio. Quare fatendum utique est, utilem certe, ne dicam necessariam, Reipublicæ Litterariæ operam eos omnes navare, qui in veterum monumentis perscrutandis, conferendisque desudant, proprias cujusque scriptoris dotes ac merita expendunt, justisque limitibus circumscribunt, suis auctoribus quæ eorum legitima sunt, vindicant, quæ vero iisdem perperam attributa pari diligentia secernunt, quo nempe veris rerum fontibus patefactis, certaque veluti nota distinctis, primigenia earum origo in propatulo sit, omnisque impostoribus præcidatur occasio viliores pannos, ac scruta ipsa pro exquisitissimis mercibus venditandi.

Porro hic idem scopus, hic finis unicus est hujus nostræ Dissertationis, in qua Rufinianæ Versionis indolem, & pretium ad trutinam revocare constituimus. Nam quum Rufini auctoritas multo infra Eusebii auctoritatem consistat, minorisque ponderis apud doctos omnes haberi soleat, non parum sane refert præsertim ad antiquorum scriptorum fragmenta, quibus Eusebius passim abundat, integritati suæ restituenda, & sincera Martyrum acta dijudicanda, quæ

unius,

unius, quæ alterius sunt, accurate separare; atque id in caussa fuit, cur studiosis omnibus operæ pretium me facturum existimarem, si argumentum hoc pro virili parte discutiendum mihi proponerem. Quod quidem eo libentius facere adorsus sum, quod nuper haud defuerit, qui typis vulgare non erubuit Rufinum nostrum, si S. Hieronymum excipias, præstantiorem fuisse illius ævi scriptorem. Scilicet, si hunc audiamus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, ætatis illius lumina, cum Rufino comparati, pumiliones sunt, inferiorisque notæ homines; quo nescio an cogitari quicquam, ne dicam scribi possit absurdius, sive demum Rufini scripta ea consideres, quæ Theologiam, & sacrarum Scripturarum explicationem spectant, sive quæ ad Historiam Ecclesiasticam pertinent. Qui igitur veritatem sedulo inquirit, serioque amat, diligenter profecto sibi caveat oportet, ne in tanta ætatis nostræ judiciorum diversitate, scribendive licentia, turpiter sibi imponi patiatur. Sed ad rem accedamus.

II. Sæculo XVI., quod Criticum merito appellat V. CL. *Joannes Vincentius Gravina* in Oratione *De Sapientia Universa*, invaluit

luit inter eruditos opinio, Latinam Translationem librorum Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii Cæsariensis, quam Rufinus Presbyter lucubravit a Græco Cæsariensis Historiographi textu sæpius quam longissime recedere, atque Interpretem libertate sua usum, multa identidem demere, addere, & mutare licitum sibi duxisse; adeo ut *Vossius* inter reliquos asserere non dubitaverit Rufinianam Versionem, ne paraphrasin quidem dici posse, sed proprium esse Rufini opus, in quo tamen Eusebium plurimum exscripserit. Id in caussa fuit, cur ab eo tempore plures doctissimi, eruditissimique viri, Wolfgangus Musculus, Joannes Christophorsonus, Henricus denique Valesius novas Eusebianæ Historiæ versiones, ad Græcum textum diligentius exactas, procudere conati sint, quarum postrema præsertim summis laudibus, ingentique gaudio a doctis omnibus excepta est, maximoque Reipublicæ Litterariæ bono sæpius recusa.

Sententiam hanc, omnibus qui eruditione, ingeniique acumine præstare ceteris existimantur ceteroquin communem; nuper falsi arguere adnisus est pereruditus Vir *Petrus Thomas Cacciarius* Carmelita Romæ in Collegio Urbano Propagandæ Fidei Primarius Theo-

Theologiæ Lector, atque apologetica pro Rufino Dissertatione edita, quam Rufinianæ Versioni Notis a se illustratæ, ac Romanis typis excusæ anno MDCCXL. adtexuit, receptam passim opinionem convellere, Rufinum vero ab ea nota penitus purgare totis viribus, magnoque apparatu est aggressus. Quæ is sparsim ad Rufinum suum contra tot clarissimorum virorum accusationes tutandum meditatus est, ad hæc ferme capita reducuntur.

Primo quidem Rufinum apud veteres omnes, si unum excipias Hieronymum, maximam consequutum fuisse latine interpretandi laudem; quod Augustini, Gennadii, Honorii Augustodunensis, Sidonii, & Victoris Vitensis testimoniis confirmat. II. Undecim & amplius sæculorum spatio, universam Latinam Ecclesiam Rufini Versione usam fuisse, eamque auctoritate sua comprobasse. III. S. Hieronymum, qui reliquas Rufini versiones vellicavit, Eusebianæ Historiæ Translationem ubique intactam a censura præteriisse, quum tamen visam ab eo fuisse pro certo habendum sit, quando annos XVI. vixit ab illius evulgatione. IV. Rufinum in Palæstinam, ubi Eusebiana Historia prodiit, tum con-

cessisse, cum vix duo supra triginta anni elapsi erant ab Eusebii obitu, ibique triginta fere annorum spatio commoratum; adeoque dubium non esse, Græcum codicem, quo usus fuit, aut autographum fuisse, aut certe minime vitiatum ab oscitantia, sive malitia amanuensium; ac proinde si qua nunc appareat discrepantia inter Rufini Versionem, & Græcum Eusebii textum, eam non Rufino, sed vitio posterioris ætatis tribuendam esse, qua exemplaria Græca corrupta fuere, ut communis etiam fert doctorum hominum querela. V. Quædam profecto legi in hodierno Eusebii textu, minime vero in Rufiniana Versione; quæ quum nulla occurrat caussa, cur a Rufino prætermissa censeantur, indubitatum sit post Rufini tempora Græcis exemplaribus accessisse: uti contra quædam ex iisdem exemplaribus librariorum audacia perperam detracta fuisse, evidentissimum est. Quod pluribus exemplis confirmat. VI. Recentiorum versiones maximis vitiis laborare. Musculianam redargui a Suffrido Petro, Edovardo Godsalso, Joanne Curterio, & Valesio; Christophorsonianam ab iisdem Curterio & Valesio, nec non a Petro Halloixio; ne-

neque Valesianam suis nævis carere, quod postremum pluribus probat sub finem Dissertationis ope Raphaelis Vernazzæ, viri in utraque lingua satis exercitati. VII. Denique Valesium ipsum *semper* in Eusebio interpretando Rufino duce fuisse usum, ejusque versionem pedetentim quasi facem præviam sequutum esse. Quare concludit tandem Rufinianam Versionem ceteris auctoritate, & veritate antecellere; Rufinum vero ipsum malæ fidei in Eusebiana vertenda Historia falso ac perperam a recentioribus Criticis argui.

III. Antequam ad hæc eruditi Viri momenta discutienda accedo, quædam præmittenda sunt, quibus veluti jactis fundamentis, sponte sua consectaria ea fluant, quæ quanta sit Rufinianæ hujus Apologiæ vis atque robur apertissime demonstrent.

Pono igitur primo, quotquot eruditi viri in Rufini Interpretationem diligentius inquisivere, eam liberiorem, atque a Græco Eusebii textu longe dissentientem invenisse. Ipsa ego illorum verba huc afferam, non quidem omnium, quod prolixius foret, & minime necessarium; sed quorundam dumtaxat inter præcipuos, quorum nunc mihi memoria suppetit.

Primus, quod quidem ſciam, qui Rufinum nimiæ in vertendo licentiæ reum egerit, eſt accerrimi judicii vir *Eraſmus Roterodamus*, qui in Epiſt. DCXIII. ad Joannem Carondiletum, ita de eo loquitur: *Sumſit idem juris ſibi* (ſenſum reddendi, omiſſis, additiſque pluribus) *Poggius in vertendo Diodoro Siculo*:. *ſumſit ſibi Rufinus in vertendis pæne ſingulis, quæ tranſtulit, præſertim in libris Origenis, & Euſebii Cæſarienſis Hiſtoria. Verum hæc non eſt libertas interpretis, ſed licentia potius contaminantis aliena ſcripta*. Et in Cenſura Homiliarum Origenis in Geneſim: *Stilus multum habet perſpicuitatis, ſatiſque commode fluit, licet non uſquequaque purus; cui virtuti utinam fidem adjunxiſſet, quam ab interprete requirimus. At hæc libertas, vel licentia potius, addendi, adimendi, mutandi, Rufinum clamat interpretem. Hanc licentiam fatetur uſurpaſſe ſe in Leviticum, in Epiſtolam ad Romanos, in Hiſtoriam Eccleſiaſticam. Quod porro opus ipſe tractavit unquam, quod non ad iſtum modum contaminaverit?* Idem in Epiſt. MCCXV. ad Jacobum Sadoletum, paucis multa complectitur: .*Rufinus nuſquam nec elegantem, nec bonæ fidei interpretem præſtitit*.

Wolf-

Wolffgangus Musculus rationem reddens, cur post veterem Historiæ Eusebii Interpretationem, novam ipse meditatus sit, ita ait in Præfatione ad eandem: *Etenim haud despiciebam usque adeo, ut tantum laboris præter rationem subirem, nisi antiquam versionem a Græco exemplari Lutetiæ Parisiorum anno Dominicæ Incarnationis MDXLIV. edito, quam plurimis in locis variare deprehendissem. Cupiebam igitur hasce Historias pro ingenii mei mediocritate Latinis auribus ad Græci exemplaris fidem aliquanto castigatius, quam vetus habet editio, legendas exponere.*

Huic concinit *Christophorsonus* in Præfatione itidem suæ versionis: *Rufini conversionem, quam tum diu hominum manus tenuissent, cum Græcis conferebam, sententias inter se expendebam sedulo: unde certe maxima me capiebat admiratio (præsertim cum Latina a Græcis tantopere dissentire animadverterem) quid tam docto viro venerit in mentem, ut auctorem tam insignem, tam indiligenter verteret. Factum illius probare haud poteram, coarguere autem vix audebam.* Deinde paucis interjectis: *Sed in hac Historia, quam in eadem Apologia laudat D. Hieronymus, cum nihil ab orthodoxa Catholicæ Ecclesiæ sententia*

tia alienum reperiatur, vix Rufino venia dari potest, quod tot prætermiserit valde utilia, tot de suo adjecerit prope aliena, tot quasi non recte collocata immutarit. Et post multa: *Dolebam certe, & vehementer angebar, cum viderem tam illustrem Historiam ita conversam, ut vix satis latine, ita prope immutatam, ut non Eusebium, sed Rufinum ejus auctorem meritissimo diceres. Sicut enim Themistii Paraphrasim, quam in libros aliquod Aristotelis, quos de natura, & opertarum rerum patefactione pertexuit, litteris præclare mandavit, non Aristotelis opus, sed Themistii appellamus: sic Rufini sive conversionem, sive paraphrasim dicere placet, quam in Eusebium edidit, non Eusebii nomine, sed Rufini jure inscribi deberet. Sed quid paraphrasim dixi, cum sit ejus proprium, ut quod breviter dictum sit, pluribus apperiatur, & quod obscure, paullo explanatius. Sed ab eo, quem dico, non brevitas ubertate dicendi & copia, non obscuritas orationis lumine patefit, sed quæ pluribus ab Eusebio exposita, ab isto in pauca conferuntur, quæ scripta ab illo aliquanto obscurius, ab hoc prorsus omittuntur. Dictu est prope incredibile, quod ne dicam verba (de quibus non ita laborandum) sed integræ sententiæ, integræ paginæ,*

ginæ, integræ orationes, integræ epistolæ, integri prope libri prætermissi sint.

Cristophersonum excipiat *Possevinus*, qui Tom. III. *Apparatus Sacri* ita de Rufino loquitur: *Sed & Rufinus in Eusebii Historia, quam e Græca Latinam fecit, multa (ut observavit qui eam novissime transtulit) prætermisit, deque suo immiscuit; alia plura item quasi non recte collocata mutavit, quin & duobus, quos addidit, libris, quibus res gestas a tempore Nicæni Concilii usque ad obitum Theodosii est prosequutus, jejune admodum, atque haud tuta fide pleraque percurrit.*

Idem sentit *Joannes Curterius* in Epistola præfixa editioni Parisiensi 1571. Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii. Hæc enim in hanc rem habet. *Si in istam Græcorum Historiæ Ecclesiasticæ auctorum editionem intueamur, quid ea unquam editum depravatius? Id ego sæpe ante annos sex, qui Græca ejus lectione delectarer, cum essem expertus; & Rufinum, cujus tempore nondum ita corrupta fuisse exemplaria credatur facile, Musculum denique ipsum in consilium adbibuissem; tantum abest, ut eorum versionibus sim adjutus, ut illum (quod merito reprehendit Hieronymus) in Eusebio reddendo parum integre se præstitisse: & hunc non tantum &c.* *In*

In eadem sententia est *Aubertus Miraeus* in *Scholiis* ad Cap. XVII. Gennadii *De Viris Illustribus*. *In vertenda*, inquit, *Eusebii Historia Rufinus nimia libertate usus fuit, multa addens, demens, ac mutans. Dimidium octavi libri omisit: decimum vix attigit. Adeoque ex decem Eusebii libris fecit novem, quibus duos de suo adjecit.*

Paria habet *Ger. Joannes Vossius* Lib. II. Cap. XI. *De Historicis Latinis*. *In Eusebio quoque*, ait, *nimium profecto libertate in vertendo usus fuit Rufinus. Sane Eusebiana translatio, ne paraphrasis quidem dici possit: sed proprium opus, in quo tamen Eusebium plurimum exscripserit. Multa adeo addit, multa, demit, multa mutat.*

Sed audiamus quoque CL. *Tillemontium Monumentorum Historiae Ecclesiasticae* Tom. XII. in S. Hieronymi Vita Art. CXXV. *Il reconnoist* (Rufin) *qu' il n' a fait qu' un livre du neuf et du dixieme livre d' Eusebe, en ayant retranché diverses choses qui ne regardoient pas l' histoire. Mais on voit qu' il a usé sans en avertir, ou plutost abusé de cette liberté en beaucoup d' autres endroits, où il retranche diverses choses, et en ajoute d' autres, qui n' ont pas tout à fait la mesme autorité que ce qu' il tire d' Eusebe.*

Til-

Tillemontio addendus *Philippus Labbeus* in *Dissertatione Historica de Scriptor. Eccles.* in Rufino: *Rufinus Eusebii Cæsariensis Ecclesiasticæ Historiæ libros decem in novem contractos Latinis verbis exposuit, liberiore usus interpretandi ratione addendo, demendo, mutando, interpolando multa, quibus & ipse addidit libros duos, usque ad Thedosii Imp. obitum.*

Labbeum, & Tillemontium excipiat Scriptor alius Gallicus, id est *Elias Dupinus*, qui Tom. II. *Bibliothecæ Novæ Auctorum Ecclesiasticorum* in Eusebio, ita de Rufino sensit: *Rufin est le premier qui ait traduit l'Histoire d'Eusebe; mais il l'a fait suivant sa coûtume, avec beaucoup de liberté. Il a passé le dixiéme Livre entier, et y en a ajoûté deux autres qui continent la suite de l'Histoire jusqu' à la mort de Theodose. Sa version est pure, nette, et même assez élegante, elle rend fort agréablement le sens et les pensées de son Auteur, et quelques fois plus fidelment que les Interpretes qui l'ont traduit depuis. Elle a esté d'un tres-grand secours aux Auteurs Latins qui y ont puisé tout ce qu'ils ont écrit ou scû de l'Histoire Ecclesiastique des premiers siecles.* Et Tomo III. ejusdem operis in Rufino: *Rufin se donnoit beaucoup de li-*

berté dans ses traductions, et s'attachoit plus au sens qu'il croyoit que l'on doit donner aux Auteurs qu'à leurs paroles. En un mot ses traductions sont plûtôt des paraphrases que des versions fideles & litterales. Il s'est particulierement donné beaucoup de liberté dans l'Histoire d'Eusebe et dans les Traitez d'Origene, où il a changré, ajoûté et retranché plusieus choses, comme il l'avouë lui-même. Mais si ces versions ne sont pas entierement fideles, elles sont assez élegantes, et ont une netteté qui les fait lire agréablement.

CL. *Valesius* in *Præfatione* in suam versionem Historiæ Eusebii, ita pariter de eo judicat: *Ut a Rufino exordiar, quis nescit illum Eusebio multa pro arbitrio addidisse, multa detraxisse, multa mutasse; ac plerisque in locis παραφραςὴν potius esse quam interpretem?.... Quot Eusebii loca ab illo perperam accepta & interpretata sunt?* sua tamen eum laude minime defraudat vir doctissimus, addit enim: *Quamvis sensum potius Eusebii sequatur quam verba, tersus est tamen ac nitidus, nec legentibus injucundus: ac vel eo nomine plurimum laudandus, quod Ecclesiasticam Historiam primus Latinæ linguæ hominibus dedit; cujus versione ad nostram usque ætatem usa est Occidentalis Ecclesia.* His

His omnibus subscribit *Joannes Albertus Fabritius Bibliothecæ Latinæ* Lib IV. Cap. III. pag. 345. *Rufinus plurima ex Græco in Latinum convertit, ut Josephum de Bello Judaico..... & Eusebii Historiam Ecclesiasticam, quam duobus etiam libris auxit, sed in interpretationibus suis usus est nimia sæpe interpolandi libertate..... Magna licentia usum in vertendo, Latinæ ejus, quæ extant versiones, evidenter probant.* Et *Bibliothecæ Græcæ* Tom. VI. pag. 59. *Vertit Eusebii Historiam Rufinus, sed ita ut varia passim librumque decimum integrum propemodum omitteret, alia adderet, atque interpolaret.*

Subscribit itidem summis viris hactenus laudatis *Guillelmus Caveus* in *Historia Litteraria Scriptor. Ecclesi* A. D. CCCXC. *Illud negari non potest, Rufinum in vertendis e Græco sermone aliorum scriptis pessima fide ut plurimum egisse, mutando, truncando, addendo, ut nova potius quam aliena videri possent; nec divinando quis assequi valeret quænam Rufini, quænam ipsius auctoris partes fuerint.*

Agmen denique claudat V. CL. *Petrus Daniel Huetius* in libro *De Claris Interpretibus* pag. 201. & 202, edit. II. *Hieronymo idem*

tempus æmulum magni nominis protulit Rufinum Aquilejensem, qui cum ejus lucubrationes, liberioremque præsertim interpretandi rationem maledictis fixisset, longe ipse idem stadium decurrens turpius se dedit, aptioremque sui castigandi ansam Hieronymo præbuit. Plurima Græca Latinam ab eo conversionem adepta sunt, Origenis puta opus περὶ Ἀρχῶν, *aliaque ejusdem plurima, Josephi libri de Bello Judaico, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Xysti, & Evagrii Sententiæ, Pamphilus adversus Mathematicos, Clementis Romani, ut habet Gennadius, Recognitiones, Apologia pro Origene, quæ Martyri Pamphilo tribui solet, & Eusebii Historiæ; in quibus ad insaniam usque ineptivit, & processit extra modum profusissima verbiloquentia, nonnumquam etiam totas veterum scriptionum partes audaci falce demessuit: ut paraphrastes potius habendus sit, quam interpres. Corruptissimis ad hæc nonnumquam usus est codicibus, & judicio caruit critico, quo falsa a veris discerneret.* Quæ Huetii censura non de una Eusebianæ Historiæ Versione intelligenda, sed indiscriminatim ad omnes Rufini interpretationes referenda est.

IV. Clarissimorum virorum, quos postremo nominavi, Cavei scilicet, & Huetii de Ru-

Rufino sententiam vellicat more suo, arroditque *Justus Fontaninus* Lib. V. Cap. XI. §. VI. *Historiæ Litterariæ Aquilejensis*, atque hæc pro conterraneo suo in medium adducit: *Quum Rufinus hæc non ut Grammatista uni litteræ adhærens, sententias potius, quam verba secutus, additis, & decurtatis non paucis, & monito lectore se præstitisse ingenue fateatur in Prologo ad Chromatium, cur hæc eadem in crimen sublestæ fidei a scriptore Angio vertuntur?* At non omnia, quæ Rufinus immutavit ingenue fassus est ipse, licet aliqua fateatur; quod eo turpius fecisse videri possit, quum quædam libere patefaciendo, occultando vero reliqua, hæc postrema perperam tribuere voluisse videatur Eusebio, quamquam non alium præter Rufinum ipsum haberent auctorem. Quod si molestissimum illud, & Grammatico potius dignum, ex una in alteram linguam transferendi munus fastidiebat Rufinus, alio stilum convertere poterat, jucundiorique exercitationis genere animum recreare. Qui enim Interpretis officio rite fungi velit, *Horatio* in *Arte Poetica* judice, ut *verbum verbo reddat*, sedulo curare debet.

Ad Huetium transit Fontaninus, cujus

judicium *periniquum* appellat, *Huetio admodum juveni hæc excidisse* causatur, additque: *Sane immerito profusissima verbiloquentia illi imputatur, qui brevitati adeo studuit, ut decem libros in novem contraxerit.* Postremo subjungit: *Nos Huetio opponemus Henricum Valesium in eodem stadio Rufini æmulum, qui in sua egregia Eusebii editione, licet Presbyteri nostri versionem alicubi non amplectatur ex more novorum interpretum, qui ut suas translationes extollant, veteres deprimunt; tamen passim Rufini versione suam confirmat; non raro ait, Eusebiano contextui eam commentarii vicem præstare. In summa Valesius de Rufino longe aliter ac Huetius sentit, de quo in Præfatione ita scribit:* & affert posteriorem partem Valesiani judicii de Rufini Versione, quam & nos superius exscripsimus, priorem vero subticet.

Ad hæc retundenda, Huetium vero penitus purgandum, satis profecto esset reponere, quæ in illa doctissimi Præsulis censura ad Eusebianam Rufini Versionem referri debent, ea certe esse, *nonnumquam totas veterum scriptionum partes audaci falce demessuisse: ut paraphrastes potius habendus sit, quam interpres:* reliqua de aliis Rufini inter-

terpretationibus commodius intelligi; quare si juvenis erat Huetius, quum hæc litteris consignavit, quod modo expendere haud vacat, juvenes certe non fuisse tot eruditissimos viros, quorum idem fuit cum Huetio de Rufino judicium; neque juvenem fuisse Valesium, cujus verba præ oculis habuisse videtur quum illa scribebat Abrincensis Præsul. At quando quæ de aliis Rufini lucubrationibus Huetius notavit, Fontanino de Versione Eusebianæ Historiæ accipienda esse placuit, saltem tollerabili ratione aliqua concivem suum tutatus esset.

Perperam *profusissimam verbiloquentiam* objici contendit auctori, qui decem libros in novem contraxerit. At quis non videat Huetium de verbis loqui, Fontaninum vero de rebus respondere? Rufinus decimum Eusebii librum cum nono conjunxit, atque unum fecit, quod nihil pæne gestarum rerum contineret, in panegyricis autem Episcoporum orationibus fere versaretur. Totum id profecto præstare potest etiam scriptor, qui ceteroqui stili in scribendo affluentiam quammaxime sectetur; aliud enim est res minime ad historiam pertinentes rescindere, aliud verbiloquentiam in iis quæ refe-

ri-

rimus adamare. Nam quod attinet ad Sidonii effatum: *Ut Rufinus ſtringitur*, a Fontanino ibidem adductum, quo Rufini Atticiſmum, ſtrictioremque loquendi formam evincat, de eo infra ſermo recurret Paragrapho XX., quave ratione intelligendum ſit, evidenter, ni fallor, probabimus.

Iniquior etiam eſt Huetiana cenſura, ſi Fontaninum audiamus, quia Valeſius de Rufino longe aliter ſentit: quaſi vero, quæ Huetius de hac Rufini Verſione revera attulit ex Valeſii fonte hauſta non eſſent, ut jam adnotavimus. At Valeſius paſſim Rufini Verſione ſuam confirmat, aitque Euſebiano contextui commentarii vicem præſtare. Quid porro hoc ad Rufini diligentiam vindicandam? Neque enim quum eidem nimiam in vertendo libertatem, aut oſcitantiam objiciunt Critici, in ea ſententia ſunt, ut putent ne unam quidem periodum recte ab eo translatam fuiſſe. Etenim fatentur & ipſi eum non ſemper dormitaſſe, immo interdum, ut *Dupino* obſervatum, fidelius Euſebii ſenſa expreſſiſſe quam interpretes qui eum conſequuti ſunt.

Sed illud oppido jucundum eſt, Valeſium, ſicubi Rufini Verſionem non ample-

plectatur, id ab eo fieri *ex more novorum interpretum, qui ut suas translationes extollant, veteres deprimunt*. Itane vero de honestissimo, ingenuissimoque viro, atque ab arrogantia, & pessimo aliorum scripta carpendi more tam alieno, ut priorum Eusebii interpretum laudes potius commemorare se velle, quam vitia detegere, & profiteatur in *Præfatione*, & revera præstiterit? Ergo Valesius sui oblitus, studioque abreptus propriæ amplificandæ famæ, depressione alienæ, Rufinum negligit etiam quum recte sentit, fidumque se præbet interpretem? Quis hæc conciliaverit cum iis, quæ tradit P. Cacciarius Part. III. §. IV. suæ Dissertationis, ubi ipsius Valesii verbis in medium prolatis, tandem concludit, certissimis exemplis a se demonstratum fuisse, *Valesium semper Rufino duce usum, ejusque versionem pedetentim quasi facem præviam esse sequutum?* Sed dimisso Fontanino, cui pro concive, & quidem magni nominis, acriter dimicanti, hæc, & graviora quoque (quamquam non juveni, sed ætate jam provecto exciderint) condonari possunt; ad institutum nostrum revertamur.

V. Statuo secundo tanquam certum, ne-

gari minime posse, aut in dubium revocari, quin Rufinus in Eusebii Historia vertenda, quædam saltem addiderit, quædam vero detraxerit, quum hoc ipsemet Rufinus ingenue fateatur. Quod probamus primo ex Episto'a ad Chromatium Aquilejensem Episcopum, in qua ita scribit: *Sciendum sane est, quod decimus liber hujus operis in Græco, quoniam perparum habebat in rebus gestis, per reliqua omnia in Episcoporum panegyricis tractatibus nihil ad scientiam rerum conferentibus occupatus, omissis, quæ videbantur superflua, historiæ si quid habuit nono conjunximus libro, & in ipso Eusebii narrationi dedimus finem.*

Secundo probatur ex Cap. XXV. Lib. VII. ubi quum Gregorii Thaumaturgi mentio incidisset, narrationem de suo adtexuisse fatetur de rebus ab eodem Episcopo præclare gestis: *Verum quoniam B Gregorii*, inquit, *historiæ textus attulit mentionem, dignissimum puto tanti viri gesta, quæ sub Orientali, & Septentrionis axe cunctorum sermone celebrantur, omissa nescio quo casu, huic narrationi ad memoriam posteritatis inserere.*

VI. Ponimus tertio, Rufinum in aliis quoque suis translationibus sublestæ fidei a do-

doctissimis viris accusari, quod ex parte probatum fuit; *Erasmus* enim, *Dupinus*, *Caveus*, *Fabricius*, *Huetius*, aliique de omnibus omnino Rufini versionibus generatim loquuntur, uti jam vidimus, non autem de sola Eusebiana Historia; quibus nunc addendus testis omni exceptione major, quique omnium instar haberi possit, hoc est *S. Hieronymus*, ita de Rufino loquens Lib. II. *Apologiæ* adversus eundem: *Rogatus eras, ut quomodo habebatur in Græco* (Origenis περὶ Ἀρχῶν) *in Latinum verteres. Utinam fecisses quod rogatum te esse simulas, nulli nunc invidiæ subjaceres. Si tu translationis servasses fidem, mihi necessitas non fuisset interpretationem falsam vera interpretatione subvertere. Novit conscientia tua, quæ ADDIDERIS, quæ SUBTRAXERIS, quæ in utramque partem, ut tibi visum fuerit, IMMUTARIS &c.* Et Lib. I. ejusdem *Apologiæ*: *Abstulit quæ erant, dicens ab hæreticis depravata; & addidit quæ non erant, asserens ab eodem in aliis locis disputata.*

VII. Statuo quarto, si quid a Rufino in Eusebii Historia transferenda detractum, additum, aut immutatum fuit, id non dolo malo ab eo factum fuisse; sed, vel ut-

cam ordinatiorem redderet: vel ut Historiæ Ecclesiasticæ thesaurum ditiorem faceret, augeretque proprio labore patrimonium ab Eusebio relictum. Ex quo consequitur, opus hujusmodi & laudi, & obtrectationibus æque obnoxium esse posse, pro diversa illud considerandi ratione. Qui enim in transferendo fidem, ac consensionem cum Græco archetypo unice spectet, eamque in interprete necessariam judicet, multum profecto habeat, quod in Rufini lucubratione criminetur. Qui vero ea prætermissi, ad Historiæ Ecclesiasticæ bonum dumtaxat attendat, quam locupletiorem fieri nemo non optare debet, laudem etiam aliquam mereatur.

VIII. Statuo denique quinto loco, ex tot tantisque MSS codicibus Græcæ Eusebii Historiæ, nullum proferri posse, qui Additamenta, quæ Rufino tribuuntur, ex parte saltem agnoscat, quo conjici liceret, ea revera, Eusebium habere auctorem, quamquam amanuensium negligentia in pluribus, qui nunc supersunt exemplaribus, minime appareant. Quod idem (uno, alterove loco excepto) assertum volo de iis, quæ a Rufino prætermissa sunt, in quibus pariter si MSS.

MSS. codicum auctoritate lis dirimenda sit, prorsus non habeas quo Rufinianæ caussæ patrocineris.

IX. His ita positis, æquum, & a præjudicatæ mentis vitio liberum Lectorem appello, rogoque ut animo sibi fingat, si possit, Rufinum, quamquam in transferendis Græcis auctoribus delinquere solitum: quamquam de interpolata Eusebii Historia a tot tantisque clarissimis viris, qui Græcum textum cum Latina Versione diligentissime contulerant, expostulatum: quamquam denique ipsemet non uno in loco ingenue fateatur, se aliqua revera in ea vertenda addidisse, aliqua vero detraxisse; tamen fidissimum, religiosissimumque interpretem præbere se voluisse: præter ea, quæ ipse fatetur, ne verbum quidem de suo aut addidisse, aut detraxisse: interpolationem vero, ac dissonantiam a Græco textu, quæ in ejus Iterpretatione apparet, ab amanuensium oscitantia, & sequioris ætatis vitio repetendam esse, quibus factum sit, ut a Græcis exemplaribus quamplurima detracta, aliqua vero in eadem perperam intrusa sint; & hoc quidem, licet nullus nunc ostendi possit Græcus codex, qui aut omissionum,

aut

aut additamentorum Rufino tributorum, vestigium aliquod retineat. Ægrotorum somniis propemodum similia hæc videantur; quæ quisque sanus ægre admodum sibi persuaserit. Quis enim credat, Rufinum in Historia Eusebii latine reddenda a suo veteri more recedere voluisse, quando, vel ipso fatente, satis conjicere possumus eundem immo constantissime ab eo retentum fuisse? Quis credat, eum qui in dogmaticis auctorum scriptis vertendis, in quibus si unquam alibi, certe fides ac diligentia interpretis requiritur, multum sibi licere existimasset; in historia interpretanda, in qua argumenti natura ipsa per se adlicit quodammodo atque invitat interpretem ad aliqua vel minus arridentia, vel quæ falsa videntur, obtruncanda, plura vero, quæ auctori minus cognita fuisse apparet, adsuenda; nè tantillum quidem a Græci auctoris contextu recedere voluisse? Quis denique sibi persuadeat, totam antiquitatem in id conspirasse, ut ne unum quidem codicem, qui vestigium aliquod servet primigeniæ Eusebii lectionis ad nos usque derivare permiserit?

X. Sed hæc generaliora, ac vaga nimis videri possunt. Propius rem attingamus, at-

que

que pluribus exemplis evidentius confirmemus

Lib. IX. Cap. VI. Rufinianæ Versionis orationem Luciani Martyris legere est, pro religione nostra coram judice habitam, quam Eusebii exemplaria non agnoscunt. Rufini patronus aliquis hic statim reponat, orationem illam vel a quopiam studioso brevitatem sectante, qui eam ad historiæ seriem minus necessariam noverat, expunctam; vel ab amanuensi labore n quammaxime pollet refugiente, perperam omissam. Sit ita porro. At revelatio exempli gratia de Alexandro Episcopo Hierosolymitanis facta, quam non satis perspicue refert Eusebius Lib. VI. Cap. XI. Rufinus autem Lib. eodem Cap. VIII clarius exprimit, quis credat, vel ab amanuensi, quamquam pigerrimo, vel a studioso quopiam prætermissam fuisse, quando tribus dumtaxat verbis constat: & alioqui factum illud mirifice illustrat?

Pari modo Lib VI. Cap. V. S. Potamiænam Origenis discipulam facit, quod Eusebius diserte non tradit, licet ex ejus narratione aliquo modo id colligi posse videatur.

Huc pariter spectat periodus, quam interserit Lib. V. Cap. I. ubi referens S. Blandi

dinam, quum esset in tormentis, & exclamaret: *Chistriana sum*, vires animosque resumsisse, ac sensum pæne omnem doloris amisisse, subdit: *ut postmodum nobis ipsa disseruit*, quod in Græco Eusebii non legitur.

Sic ejusdem Lib. Cap. III. apud Eusebium Cap. I. Attali responsum, quod in Græco ita simpliciter effertur: ὁ Θεὸς ὄνομα οὐκ ἔχει ὡς ἄνθρωπος: *Deus nomen non habet more hominum*, floridius ipse argutiusque hoc modo explicat: *Qui plures sunt, nominibus discernuntur: qui unus est, non indiget nomine.*

At Lib. VI. Cap. XV. apud Eusebium Cap. XVIII. integram hanc subnectit Origenis sententiam, quam Eusebiani codices non agnoscunt: *Dicebat enim hanc nostram veram esse Philosophiam, cujus partes illa Græcorum, quæ vera non est Philosophia, præcessisset. Non ergo ajebat iccirco debere partes suas omittere veritatem, quia eas sibi præveniens falsitas vindicasset.*

In gratiam Origenis Eusebium pariter auget Capp. II., & XXVI. ejusdem libri, ut ex hoc etiam quanta fuerit Rufini in auctorem illum propensio agnoscere liceat. Primo enim loco de paterno ejus censu loquens, verba hæc interserit: *qui vel ma-*

xi-

ximus fuerat. Secundo, quum Eusebius Cap. XXXI. ejusdem libri Origenis Epistolam ad Africanum de Susannæ historia commemorasset, & nihil præterea addidisset, ipse summam illius Epistolæ affert hoc modo: *Cui Origenes magnificentissime rescribens, asserit nequaquam Judæorum commentis, & fraudibus auscultandum; sed hoc solum pro vero habendum in Scripturis divinis, quod septuaginta Interpretes transtulissent; nam id esse solum, quod auctoritate Apostolica confirmatum sit.*

Sic Lib. VII. Cap XXIX. Eusebii XXXII. de Theona loquens, hæc verba de suo addit: *in omni agone persecutionum positus.*

Quod vero Lib. VIII. Cap. X., apud Eusebium Cap. IX. de Philea Martyre græce scriptum est: *Phileas Ecclesiæ Thmuitarum Episcopus, vir cunctis in patria honoribus ac muneribus summa cum laude perfunctus, & in philosophiæ studiis admodum clarus*; ita ille latine satis libere reddit: *Phileas, qui erat Episcopus urbis illius, quæ appelatur Thmuis. Hic nobilitatem primi generis secundam animi virtutem de cælestibus trahebat: de terrenis vero, quantum ad sæculum pertinet, primis in Romana Republica fuerat honoribus functus:*

eruditione quoque liberalium litterarum, & omnibus, quæ ad animi virtutem pertinent exercitiis apprime eruditus, novissimam hanc, quæ prior est omnium, secundum Deum philosophiam ita suscepit, ut omnes, qui præcesserant, anteiret.

Dies me deficiat, si singula exempla enumerare velim, quæ non librariorum in scribendo, sed Rufini potius in transferendo audaciam evidenter produnt; quocumque enim oculos convertat Lector, & Græcum exemplar cum Rufiniana Versione conferat, plures statim ei loci in oculos incurrant.

XI. At Rufinus, reponet forte hic eruditus P. Cacciarius, quæ addit, demitque, testatur libentissime. Non est igitur imputandum ingenuo homini, plus sibi tribuisse quam ipsemet fateatur, nisi evidentissima demonstratione probatum fuerit, detraxisse revera aliqua, aut addidisse, quæ tamen fassus non est. Nisi præsidium hoc sollertissimo Rufini vindici penitus præcidatur, neque illi, neque mihi prorsus satisfecisse me puto. Præcidetur autem, ni fallor, nullo negotio certissimis argumentis.

Rufinus Lib. I. Cap. I. pag. 19. suæ Versionis hæc habet de Dei Filio, quæ in hodier-

diernis Eusebii condicibus non compareat: *Quamvis ventris appellatione in eo, qui recte incorporeus creditur, convenire minime videatur, tamen tropicis, ac mysticis legibus hoc est, quod indicatur, quod non extrinsecus, & aliunde substituerit Filium Pater, sed ex semetipso, ac, si dici potest, de interioribus suis, ut hoc ipsum sit ille, qui natus est, quod est ille, qui genuit. Et ne adoptionis lege extrinsecus videatur assumtus, sed quantum appellatio ventris intelligi suggerit, salva reverentia incorporalitatis, intrinsecus editus designetur veritate naturæ.* Ad hunc locum Scholion hujusmodi apponit P. Caccianus: *Planum est, Filium hic astrui ejusdem cum Patre substantiæ: ut non absurde suspiceris Eusebium in Ecclesiastica Historia conscribenda sententiam retractasse, quam tradiderat in libris Præparationis Evangelicæ; nisi vero ab Arianis forte hi vitiati sint.* Quibus verbis Eusebium ab Arianismi nota purgare satagit eruditus Vir; ac ne fateretur id, quod satis obvium erat, scilicet Rufinum catholicam illam sententiam Eusebiano textui adsuisse, conjectare maluit, Eusebium priorem opinionem retractasse. Jure ne, an injuria ita sentiat, breviter disquirendum.

Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ scribendæ operam dabat ante Nicænam Synodum. Porro tunc temporis ab Arii partibus stetisse illum communis sententia est, & si ab errore recessit, certe post dictam Synodum recessit: quamquam sint qui velint, Eusebium necessitate adactum, & Imperatoris metu potius, quam ex animo Nicænæ Fidei subscripsisse, inter quos *S. Athanasius* in libro *De Synodi Nicænæ Decretis*, *Socrates* Lib. I. *Histor. Eccles.* Cap. XXIII. (licet alibi eum purgare studeat) *Photius* Epist. CXLIV. ad Constantinum Patricium, & *Bibliothecæ* Cap. CXXVII. *Baronius* in *Annal. Eccles.* ad ann. CCCXL. §. XXXVIII. & quod pluris est Septimæ Synodi Œcumenicæ Patres Actione VI. Qua de re videsis *Natalem Alexandrum* Dissert. XVII. in Histor. Eccl. IV. Sæculi, in qua validissimis rationibus probat, Eusebium etiam post Nicænam Synodum Arianam hæresim fovisse. Quare quis credat ipso statim Historiæ suæ initio ea prodere voluisse, quæ Arii, cum quo sentiebat, dogmata manifeste confodiunt?

Sed demus, Eusebium Historiæ suæ postremam manum imposuisse post Nicænam Sy-

Synodum, quæ Valesii, aliorumque sententia fuit; tamen verba illa quemvis potius quam Cæsariensem Episcopum habere auctorem, evidentissimum est. Valesium ipsum audire præstat, qui ceteroqui Eusebium totis viribus ab Arianismi labe vindicare nititur. *Fatendum quidem est* (ait ille in ejus Vita) *Eusebium nostrum etsi Arianorum signifer merito dici non possit, tamen cum Arianorum signiferis post Nicænam Synodum perpetuo versatum fuisse, & una cum illis impugnasse Catholicos Episcopos, Eustathium scilicet & Athanasium, præcipuos HOMOUSII defensores. Illud quoque in Eusebio reprehendendum videtur, quod licet æternitatem Filii Dei adversus Arianos semper asseruerit, HOMOUSII tamen vocem numquam ex animo probavit. Certe nec in libris contra Marcellum, nec in Orationibus de Fide adversus Sabellium, ea voce unquam usus est. Immo vero in Lib. II. adversus Sabellium, non obscure significat eam vocem, utpote quæ in Scripturis non legatur, sibi displicere. Sic enim ait.* Sicut ergo de his quæ possunt quæri inertium est non quærere: ita de his quæ non necesse est quæri, audacia est quærendi. Quæ ergo debent quæri? Quæ invenimus in Scripturis po-

posita: quæ autem in Scripturis non invenimus, non quæramus. Si enim oporteret nobis esse cognita, utique Spiritus Sanctus posuisset in Scripturis. *Et aliquanto post hæc habet:* Non ita periclitemur, sed tute loquamur. Si quid autem scriptum est, ne deleatur. *In fine autem orationis ita loquitur:* Quæ scripta sunt dicito, & derelinquetur lis. *Quibus verbis HOMOUSION sine dubio perstringit Eusebius.* Hactenus Valesius. Repugnat igitur Eusebium a voce *Homousion* perpetuo abhorruisse, simulque Historiæ suæ initio Filium Patri consubstantialem fassum esse, sive demum ante, sive post Nicænam Synodum ab illo eam absolutam fuisse statuamus.

Ex quo illud consequitur, inanem prorsus vanamque cogitationem esse, qua eruditus P. Cacciarius conjicit, Eusebium a priori sententia recessisse: multo vero magis *Præparationis Evangelicæ* exemplaria *ab Arianis forte vitiata fuisse:* quasi vero notissimum haud sit, Eusebium, saltem ante Nicænam Synodum (quo tempore *Præparationis Evangelicæ* libros jam conscripserat) Ario favisse: aut nulla præter *Præparationem Evangelicam* supersint monumenta, ex

qui-

quibus Eusebium Arianum fuisse probari possit. Addit quidem eruditus Vir eodem loco: *Nam quod quidam Catholicas illas dicendi formulas Rufino potius interpreti, quam Eusebio auctori tribuunt, eos immerito sic opinari jam ostendimus in Generali Præfatione.* At Generalem illam *Præfationem* semel & iterum evolventi mihi, nihil omnino, quod ad hanc rem spectet, occurrit, ac pessime fallor, si quis ibi tale quippiam sit reperturus.

Sed Rufinum violentas manus in Eusebianum textum laudato loco intulisse, illud præterea argumento est, quod *Joannes Zonaras* Tom. II. *Annal.* Lib XIII. hoc ipsum Cap. I. Lib. I. Eusebianæ Historiæ, quod præ manibus habemus, expendens, notansque loca singula, quæ Eusebium Arianum fuisse demonstrare sibi videbantur, nullam omnino sententiam offenderit, ex qua evinci posset Cæsariensem Episcopum cum Catholicis revera sensisse; quare concludit: *Hæc, & alia demostrant, Eusebium Ariana dogmata probasse; nisi quis dicat, id opus ante conversionem ab eo fuisse conscriptum.* Igitur evidens est, Zonaræ codicem non habuisse laciniam illam, quæ in Versione Rufini

nunc

nunc apparet; quum enim ad Eusebium tuendum, ejusque cum Catholicis consensionem declarandam, tam apta foret, in eam minime sententiam ivisset Zonaras ut crederet aut Eusebium Arianum fuisse, aut certe Ecclesiasticam Historiam ante conversionem adornasse.

Confirmatur tandem hoc ipsum ex eo, quod Rufinus in aliis quoque Eusebii vertendis libris conatus sit eorum auctorem ab Arianis ad Catholicos invitum pertrahere, aliqua nempe subtrahendo, & immutando; ut cum Orthodoxis sensisse videretur; quod *Hieronymi* auctoritate probamus, qui Lib. II. *Apologiæ adversus Rufinum* §. IV. ita de eo loquitur: *Quamvis de Eusebii libro* (Apologetico pro Origene) *multa subtraxerit, & in bonam partem de Filio & Spiritu Sancto nisus sit commutare; tamen multa in illo scandala reperiuntur, & apertissimæ blasphemiæ, quæ iste* (Rufinus) *sua negare non poterit, catholica esse pronuntians.*

XII. Manifeste, ni fallor, probavimus quædam Eusebiano textui a Rufino addita, quæ tamen minime fassus est: nunc eadem, si fieri possit, evidentia demonstremus aliqua itidem ab eo detracta, & mutata fuisse.

S. Hie-

S. Hieronymus inter reliquos veteres Patres Eusebii libros diligentissime pervolutavit, ac eundem præsertim in libro *De Viris Illustribus* ducem fere sequitur, ut ipsemet profitetur in Præfatione ad Dexterum. Porro Eusebius Lib. III. Cap. XXXVI. Historiæ Ecclesiasticæ hæc habet de Ignatio Antiochensi Episcopo: ἤδη δὲ ἐπέκεινα τῆς σμύρνης γενόμενος ἀπὸ τρωάδος τοῖς τε ἐν φιλαδελφείᾳ αὖθις διὰ γραφῆς ὁμιλεῖ. *Postea vero a Smyrna ulterius progressus, quum Troadem venisset, inde ad Philadelphenses litteras dedit.* Hæc omnia prætermittit Rufinus; quæ tamen Eusebii esse ex laudato *Hieronymo* discimus Cap. XVI. ejusdem libri, ubi singula quæ affert ex Eusebio pæne transcribens, ita ait: *Et inde* (e Smyrna) *egrediens* (Ignatius) *scripsit ad Philadelpheos.* Legebantur igitur in Græcis Eusebii codicibus verba illa etiam antequam Rufinus Versioni suæ adornandæ manum admoveret.

Rursus Eusebius Lib. V. Cap. XXVI. Irenæi Lugdunensis Episcopi lucubrationes commemorans ait: *Ceterum præter supradicta Irenæi opera, & epistolas, extat etiam brevissimus, & in primis necessarius ejusdem liber adversus Gentes, qui de scientia inscri-*

bitur. *Alius præterea Martiano fratri nuncupatus, qui demonstrationem continet Apostolicæ prædicationis*. Quos duos libros simul confundit Rufinus ita vertens: *Extat autem adhuc Irenæi, præter eos, quos supra memoravimus libellos, etiam aliud volumen egregium adversum Gentes, quod de disciplina adtitulavit ad Martianum scribens*. Sed hodiernam Eusebianorum codicum lectionem germanam esse, probat idem *Hieronymus* Cap. XXXV. ejusdem operis, duos memoratos Irenæi libros expresse distinguens.

Contra ex duobus hisce libris, ab Eusebio Lib. VI. Cap. XIII. inter Clementis Alexandrini Opera relatis: *Est etiam exhortatio ad patientiam, scripta ad Neophytos. Denique liber ille, qui Ecclesiastica regula inscribitur, seu adversus eos, qui errores Judæorum sequuntur;* quatuor fecit Rufinus, ita locum illum transferens Cap. XI. ejusdem libri: *Et alius exhortatorius ad patientiam: & alius ad Neophytos: sed & ille, qui superscribitur, Canon Ecclesiasticus. Item alius de his qui Judaicum sensum in scripturis sequuntur*. Et tamen perperam id ab eo factum, saltem quod attinet ad postremum ab Eusebio memoratum, ex ipsomet *Hie-*

Hieronymo probatur, qui Cap. XXXVIII. eundem librum ita describit: *De Canonibus Ecclesiasticis, & adversum eos, qui Judæorum sequuntur errorem, liber unus.* Idem ex *Photio* evincitur.

De Melitone Sardiensi Episcopo agens Rufinus Lib. IV. Cap. XXVI., ejus libros pariter auget; qui enim apud Eusebium, & Hieronymum Cap. XXIV., unus liber est *De recta vivendi ratione, & de Prophetis*, ipse in duos dividit, vertitq e: *De optima conversatione liber unus. Sed & de Prophetis, de Ecclesia &c.*

Idem Eusebius Lib. V. Cap. XIII. de Rhodone loquens, hæc habet: ἐν τῷ αὐτῷ δὲ συγγραμματι καλλίσιωνι προσφωνῶν, ὁ αὐτὸς μεμαθητεῦσθαι ἐπὶ ῥώμης τατιανῷ ἑαυτὸν ὁμολογεῖ. φησὶ δὲ καὶ ἐσπυδάσθαι τῷ τατιανῷ προβλημάτων βιβλίον. δι' ὧν τὸ ἀσαφὲς καὶ ἐπικεκρυμμένον τῶν θείων γραφῶν παραςήσειν ὑποσχομένυ τῦ τατιανῦ, αὐτὶς ὁ ῥόδων ἐν ἰδίῳ συγγράμματι τὰς τῶν ἐκείνυ προβλημάτων ἐπιλύσεις ἐκθήσεσθαι ἐπαγγέλλεται. *Ceterum in eodem libro, quem Callistioni nuncupavit, Romæ a Tatiano se eruditum esse testatur. Refert etiam a Tatiano elucubratum esse Quæstionum librum: in quo cum Tatianus obscuros atque involutos sacræ Scripturæ locos se expositurum esse promisisset, ipse Rhodon so-*

lutiones Quæstionum Tatiani peculiari opere editurum se esse profitetur. Hæc Rufinus mire pervertit, ita enim interpretatus est: *In eodem quoque opere refertur Callistion quidam in Urbe Roma discipulus extitisse Tatiani, qui scripsit compositum esse a Tatiano Propositionum, & Quæstionum librum, in quo omnia, quæ obscura sunt, & difficilia in Scripturis divinis, absolvat. Sed idem Rhodo in commentariis suis propositiones ejus prolaturum se, & confutaturum promittit.* At eam de Tatiani libro notitiam, non a Callistione traditam fuisse, qui in Tatiani disciplinam concesserit, ut perperam habet Rufinus: sed ab ipsomet Rhodone, qui Romæ a Tatiano eruditus fuit, memoriæ proditam in libro, quem Callistioni dicavit, ut hodierni Eusebiani Græci textus præferunt, revera ab Eusebio scriptum fuisse evincitur ejusdem *Hieronymi* testimonio, qui Cap. XXXVII. hac de re ita loquitur: *Meminit (*Rhodon*) in eodem libro, quem scripsit ad Callistionem, Tatiani se Romæ fuisse auditorem.*

Eodem Hieronymo opitulante Rufini cum detractio, tum pessima interpretatio detegitur etiam Cap. XX. Lib. VI. Eusebius Cap. XXVIII. ejusdem libri scripserat:

τότε

τότε καὶ ὠριγένης τὸν περὶ μαρτυρίου συντάττει, ἀμβροσίῳ καὶ πρωτοκτήτῳ πρεσβυτέρῳ τῆς ἐν καισαρείᾳ παροικίας, ἀναθεὶς τὸ σύγγραμμα. ὅτι δὴ ἄμφω περίστασις οὐκ ἡ τυχοῦσα ἐν τῷ διωγμῷ κατειλήφει. ἐν ᾗ καὶ διαπρέψαι κατέχει λόγος ἐν ὁμολογίᾳ τοὺς ἄνδρας. *Quo tempore* (Maximini Imp.) *Origenes librum de martyrio composuit, quem Ambrosio, & Protoćteto Cæsariensis Ecclesiæ Presbytero dedicavit: eo quod uterque in ea persecutione non mediocre discrimen subierat: Unde & maximam gloriam ob confessionem nominis Christi ambo retulisse perhibentur*. Rufinus in hujus loci versione neque Protoćteti, neque confessionis tum illius, tum Ambrosii mentionem ullam facit, ita enim interpretatur: *Tunc Origenes librum de martyrio ad Ambrosium scripsit. Qui cum ad plurimos pervenisset, tanquam nervis quibusdam validissimis stabiliti, sponte se ad confessionem Christi nominis offerebant*. Porro Rufinum dormitasse hic, immo alte stertisse, ex *Hieronymo* Cap. LVI. discitur, ita enim ibidem legere est: *Ambrosius confessionis Dominicæ gloria insignis fuit, cui & Protoćteto Presbytero liber Origenis de martyrio scribitur.*

Rufinus Eusebii vestigia deserens, & sibimet ipsi nimium tribuens, labitur quoque Lib. VI. Cap. XVII. quo loco Hippolyti

Epi-

Episcopi opera enumerans, librum *De Pascha* omittit, cum ab Eusebio Lib VI. Cap. XXII., tum ab *Hieronymo* Cap. LXI. memoratum; in quem errorem ideo incidit Interpres noster, quod quum Eusebius ejusdem Hippolyti *Canonem Paschalem* paullo ante recensuisset, ut etiam *Hieronymus* eum sequutus recenset, is unum idemque opus esse ratus, prætermisit. At animadvertendum ipsi erat, Eusebium certam habuisse librorum Hippolyti notitiam, ait enim: *Ex reliquis autem illius scriptis, hæc sunt, quæ ad notitiam nostram pervenerunt*; quare ne latum quidem unguem ab ejus verbis recedere debuerat, ut fecit *Hieronymus*, *Nicephorus*, aliique recentiores, qui omnes Eusebii fidem religiose sequuti sunt.

Præterea Lib VI. Cap. XXXIII. secundam Cornelii Romani Pontificis Epistolam *De Romanæ Synodi decretis* adversus Novatianum, aut silentio præteriit Rufinus, aut cum prima confudit *De eadem Synodo, & consensu Episcoporum Italiæ, & Africæ*, quas non modo Eusebius Cap. XLIII. ejusdem libri, sed etiam *Hieronymus* Cap. LXVI. disertissimis verbis & agnoscunt, & distinguunt.

In

In recensione itidem operum Dionysii Alexandrini Lib. VI. Cap. XXXV. Epistolam *ad gregem suum Alexandriæ* omnino silentio præterit, quam laudati Eusebius Lib. VI. Cap. XLVI., & *Hieronymus* Cap. LXIX. probe agnoscunt.

Eodem loco Dionysii Epistolam *ad Romanos de officio Diaconi* commemorans Rufinus, omittit Eusebii verba illa: *per Hippolytum missa*, quæ in ejusdem codicibus apparuisse ex *Hieronymo* eadem agnoscente, certissime comprobatur.

Tandem Lib VII Cap. XXVIII. integrum hoc Anatolii Episcopi elogium prætermittit: *Quippe qui ad summum apicem Arithmeticæ, Geometriæ, atque Astronomiæ; ad hæc ad Dialecticæ, & Physicæ, ac Rhetoricæ supremum fastigium pervenisset:* neque ullam mentionem facit decem ejusdem Anatolii voluminum *Institutionum Arithmeticarum*, quæ ab iisdem Eusebio Lib. VII. Cap. XXXII., & *Hieronymo* Cap. LXXIII. sæpius laudati libri *De Viris Illustribus* commemorantur. Quæ omnia satis superque evincunt, Rufinum interpolatæ Eusebianæ Historiæ reum esse, etiam quum id minime fatetur.

XIII.

XIII. Porro quum Rufini in Græcorum ſcriptis latine reddendis, præſertim vero in Euſebii Hiſtoria vertenda, ſumma licentia, ne dicam audacia tot certiſſimis argumentis, totque doctiſſimorum virorum diſertiſſimis teſtimoniis comprobetur, mirari prorſus ſubit *Alphonſum Salmeronem*, virum cetera doctum, quum in hæc Rufinianæ Verſionis verba ſuperius §. X. a nobis allata incidiſſet: *Hoc ſolum pro vero habendum in Scripturis divinis, quod LXX. Interpretes tranſtuliſſent; nam id eſſe ſolum, quod auctoritate Apoſtolica confirmatum ſit*, quæ in Græcis Euſebii exemplaribus non habentur, rejecta conjectura, quæ & firmiſſima erat, & ſatis obvia, ſcilicet Rufini additamentum illud eſſe, ex Origenis Epiſtola petitum; eo adduci potuiſſe, ut crederet recentiores Euſebii interpretes vitioſis ac mutilis codicibus uſos, proindeque ſententiam illam, quæ alioquin apud Euſebium legeretur, in illorum verſionibus deſiderari, ita enim ait in *Prolegomeno* V. *Biblico* pag. 54. *Hæc ibi* (apud Euſebium) *habentur, interprete Rufino: etſi novi interpretes Euſebii, ut Muſculus, & Chriſtophorſonus non habeant, quia fortaſſis inciderunt in codices corruptos*. At Salmeronis conjectu-

ſturam pro nihilo reputandam eſſe clamat jam nota Rufinianarum verſionum indoles.

Quo vero facilius ſibi perſuadeat Lector verba illa ab Rufino in Euſebii Hiſtoriam ex ingenio invecta, illud animadvertat oportet, LXX. Interpretum verſionem maximis ubique laudibus a Rufino in cælum evehi, ſcilicet ut Hieronymi verſionem deprimeret, contra quam his verbis declamat *Apologiæ* Lib. II. *Iſta vero, quæ nunc tu interpretaris, & per Eccleſias & Monaſteria, per oppida & caſtella tranſmittis, quomodo ſuſcipiemus, tanquam divina, an tanquam umana? Et quid facimus, quod quæ Prophetarum vel Legiſlatorum nominibus titulantur, veriora hæc abs te quam illa quæ Apoſtoli probaverunt* (hoc eſt LXX. Interpretum verſionem) *affirmantur? Iſtud commiſſum dic quomodo emendabitur: immo nefas quomodo expiabitur? Si enim in explicanda lege aliquid aliter ſenſiſſe damnabile apud te ducitur: ipſam legem pervertere in aliud quam Apoſtoli tradiderunt, quoties damnabile judicandum eſt? Cur non magis pro hujus auſi temeritate dicamus: quis ex tot & tantis prudentibus & ſanctis viris, qui ante te fuerunt, ad iſtud opus auſus ſit manum mittere? Quis præſumſerit ſacras S.*

Spiritus voces & divina volumina temerare? Quis præter te divino muneri & Apostolorum hæreditati manus intulerit? Quare quis non non videat Rufinum, ut adversarium Hieronymum cum Origenis, tum Eusebii auctoritate urgeret, illiusque laboribus detraheret, sententiam illam, ut alibi sæpius, Eusebianæ Historiæ inseruisse?

XIV. His prænotatis, nunc tandem eruditum P. Cacciarium denuo conveniamus, qui ad Rufinum suum tutandum contra recentiorum Criticorum tela, primo quidem veterum auctorum perhonorifica de eo testimonia promit, Augustini, Gennadii, Honorii Augustodunensis, Sidonii, & Victoris Vitensis, qui omnes maximam in eo latine interpretandi laudem agnoverunt.

At *Augustinus* tum in libro *De Hæresibus* Cap. XXVIII, tum in libro *De cura gerenda pro mortuis* Cap. VI. Rufini Versionem a se lectam quidem fuisse innuit, testaturque ejusdem auctorem duos libros Eusebii Historiæ de suo addidisse: at de ejus in transferendo e Græca in Latinam linguam præstantia, ne verbum quidem. Neque vero fieri potuisset, ut vir modestissimus judicandi arbitrium sibi sumeret de aliorum interpreta-

ta-

tationibus ex Græca lingua, quum Græcis litteris leviter imbutus fuerit vel ipſo teſte, qui *Confeſſionum* Lib. I. Cap. XIV. ait ſe Græcam Grammaticam odiſſe, eo quod terroribus ac poenis ad eam percipiendam cogeretur. Inſtabant enim aſſidue, urgebantque præceptores, a quibus interdum vapulabat, quod in cauſſa fuit, cur Homerus, qui ceteroquin jucundiſſimis narrationibus auditoris animum oblectat, eidem amarus videretur, quare orationem concludens ait: *Majorem habere vim ad diſcenda iſta liberam curioſitatem, quam meticuloſam neceſſitatem.*

Gennadius Cap. XVII. *De Viris Illuſtribus*, & *Honorius* Lib. II. Cap. XVII. *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, fatentur certe Rufinum *in transferendo de Græco in Latinum elegans ingenium babuiſſe: Victor* vero *Vitenſis* Lib V. Cap. XVIII. *Perſecutionis Vandalicæ*, *Græcæ facundiæ*, *Latiniſque floribus ornatum* eundem appellat. At eam ipſi laudem recentiores minime denegant, immo quammaxime in eo agnoſcunt, licet fidem in transferendo deſiderent. *Valeſium* de Rufino ſcribentem jam audivimus. *Quamvis ſenſum potius Euſebii ſequatur quam verba, terſus eſt tamen ac nitidus, nec legentibus in-*

jucundus. Audivimus etiam *Dupinum* sic de eo locutum: *Sa version est pure, nette, et même assez élegante; elle rend fort agréablement le sens et les pensées de son Auteur*; & tamen primus de eo conqueritur, *multa pro arbitrio addidisse, multa detraxisse, multa mutasse; ac plerisque in locis paraphrastem potius esse, quam interpretem*. Alter vero, primum quidem eum fuisse asserit, qui Eusebianam Historiam verterit, sed id admodum licenter de more suo præstitisse.

Ceterum Valesio, & Dupino perspicuitatem, & elegantiam in Eusebiana Rufini Versione laudantibus, addendi sunt inter recentiores *Gaufridus Boussardus* Parisiensis Theologus, & *Janus Gebhardus*, quorum primus in *Præfatione* Historiæ Rufini ab se editæ Parisiis, commendat in Rufiniana Interpratatione *sermonis culturam, quæ tanta est, ut quum Græca sit Historia, mirum sit tantam in vertendo venustatem servasse Rufinum*. Alter vero in *Crepundiis* Hanoviæ editis anno MDCXV. *stilo terso, & facundia in narrationibus perspicua* usum fuisse interpretem pronuntiat.

Restat *Sidonius*, qui Lib. II. Epist. IX. ad Donidium tam alte de Rufini Versione sen-

sentit, ut asserere non dubitaverit: *Nec Apulejum Phædonem sic Platonis, neque Tullium Ctesiphontem sic Demosthenis in usum, regulamque Romani sermonis exscripsisse.* At Sidonius non de Historia Eusebii a Rufino in Latinum conversa, sed de libris Origenis loquitur eo loco, cujus judicio (si quidem de fide in transferendo intelligendus sit, non autem de sermonis elegantia ac nitore, quod verisimilius puto) Hieronymi auctoritatem oppono, qui & Græcam linguam longe melius quam Sidonius callebat, & Latinam Rufini Interpretationem cum Græco Eusebii textu certissime contulerat; quod de Sidonio non ausim affirmare.

XV. Sed universa Latina Ecclesia per undecim & amplius sæcula Rufini Versione usa, eam auctoritate sua comprobavit. Recte id quidem. At cur, quæso, Ecclesia Rufini Versione non uteretur, quamquam ad Græcum exemplar minus diligenter exacta, quum ea ad res gestas cognoscendas, Episcoporum ac Martyrum præclara facinora detegenda, haurienda vero exempla præstantissimorum virorum, qui tum scriptis, tum vitæ sanctitate Dei Ecclesiam illustrarunt, etiam ita interpolata,

satis

satis usui esse posset? Sed quid dico usui esse posset? Immo ad scopum, quo spectabat Ecclesia, eo magis conducere videbatur; quum Rufini Additamenta, quorum ope Eusebius ditescit, res plerumque enucleatius explicent, ac commentarii loco esse possint. Non est igitur mirum si Ecclesia, minime sollicita de religiosa illa in transferendo diligentia ac fide, a Criticis tantopere commendata (quam ad ea quæ diximus, ad hæreses confutandas, ad morum disciplinam eruendam, non omnino necessariam esse noverat) Rufini Versionem amplexa est, auctoritateque sua roboravit: quum præsertim nulla alia suppeteret interpretatio; ea vero nihil prorsus ab orthodoxa fide alienum contineret. At posterior ætas, non uno eventu edocta, quam sæpissime cum Ecclesiæ, tum Reipubblicæ expediat veterum monumenta integritati suæ restituere, cuncta secernere ac separare, & sua cuique tribuere: quam etiam jucundum nativam scriptorum faciem, & primigenium candorem intueri; quum in Rufini Versionem diligentius inquirere cœpisset, eamque a Græco textu non raro longe recedere animadvertisset, conquesta est, auctorem ma-

maxima in vertendo libertate usum fuisse. Hæc est omnium criminationum summa, quæ in Rufinum afferuntur. Delictum ei præterea imputatur nullum.

Sed hac de re audire præstat doctissimum virum *Joannem Christophorsonum*, qui in elegantissimo *Proœmio* in suam Eusebianæ Historiæ versionem, argumenta hæc, quæ pro Rufino aliquo modo facere videntur, jam præviderat, dilueratque. *At Rufinus* (ait ipse) *in hoc longo ævi curriculo lectus a multis, a plerisque probatus, laudatus etiam fortasse a quibusdam. Sit ita sane. In eodem fortasse erroris nihil, quod ad doctrinam attinet. Nos quidem non de ejus fide in religione (quamquam ea etiam a D. Hieronymo reprehenditur) sed de fidelitate in hujus Historiæ conversione loquimur. Sit rectum quod recte crediderit, atque optarem quidem: sed quod auctores summos interpretando nonnihil depravaverit, non ita rectum. Si qui sunt, qui illum probarint, qui pauci sunt, aut Græcum exemplar illis non suppetebat, aut si suppetebat, vel non legerunt, vel saltem non intellexerunt, vel tantum fidei tribuere Rufino, ut Græca pervestigare minime opus esse arbitrarentur. At Ecclesia interea temporis ex hac ejus explica-*

tione

tione fructus & utilitatis percepit plurimum. Non inficior equidem. Et si ex ea, ut est, non parum tulit emolumenti, multo plus, spero, capiet, cum jam tandem vere expressa sit. Ut enim cum quis alicujus illustris viri effigiem colorum varietate non satis eleganter & artificiose depictam intueatur, in ejus memoriam ita revocatus aliqua jucunditate perfunditur, non tamen ea, quam ex imagine ad vivum expressa hauriret; sic cum Lector Eusebii in scribendo formam & tanquam characterem per Rufini conversionem quasi per transennam aspiciat, fructum capit ille quidem & oblectationem, non tamen eam quam ex auctoris sententia & fideliter & latine satis explanata posset revera colligere.

Quod si Rufini Versio ab uno vel altero accusatore acerbioribus interdum verbis exagitetur, condonandum id scriptoribus, quibus fides in transferendo (nec sane immerito) quam maxime cordi erat, atque id unice spectabant. Si enim Ecclesia, si veteres Patres, seposita tantisper cogitatione emolumenti, quod ex Rufini Versione, qualiscumque demum ea sit, in Ecclesiasticam Historiam promanabat (quod unum sane ob oculos habebant) ejus in trasferendo fidem

fidem ad trutinam revocare cœpissent, atque in id dumtaxat animum intendissent, quod sæculis criticis factitatum est, multum profecto & ipsi habuissent, quod in Rufiniana Versione reprehenderent. Quare mirandum minime est, iterum dico, si Ecclesia, si veteres Patres de Rufini labore profecerunt, nemoque de nova elucubranda Eusebianæ Historiæ interpretatione cogitavit: quibus ex rebus frustra sane laborat P. Cacciarius, ut aliquod Rufino suo perfugium adstruat, quo ejus in transferendo fidem tueatur ac probet.

XVI. Dixi Ecclesiæ nullam fuisse versionem Eusebianæ Historiæ præter eam, quam Rufinus edidit, quamquam optime noverim jam laudatum CL. *Christophorsonum* in ea fuisse sententia, ut existimaverit S. Hieronymum idem opus e Græco in Latinum transtulisse; quem laborem injuria temporum intercidisse dolet in eodem *Proœmio*, si enim *ad nos*, ait ille, *devenisset, & profecto Rufini conversio in tenebris neglecta jacuisset, & ego istam meam qualemcumque operam non aliquando suscepissem*. Eadem est mens *Suffridi Petri*, qui in *Præfatione* versionis Christophorsoni ab se recognitæ & illustratæ, hæc habet: *Soli itaque Rufinus, & Epiphanius*

I tan-

tanto temporis ſpatio Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ habiti ſunt interpretes in Eccleſia Latina. Quod tamen de Rufino valde mirandum eſt, cum & Gelaſius Pontifex D. Hieronymum ſecutus, ejus translationem condemnaverit, & poſt eum D. Hieronymus Euſebium de integro converterit.

At, quod pace doctiſſimorum virorum dixerim, minime ii aſſequuti ſunt ſenſum verborum *Hieronymi* in Lib. I. §. XI. *Apologiæ adverſus Rufinum;* quum enim ibidem ait S. Doctor: *Laudavi Euſebium in Eccleſiaſtica Hiſtoria: in digeſtione temporum: in deſcriptione S. Terræ: & hæc ipſa opuſcula in Latinum vertens, meæ linguæ hominibus dedi*, non illud ſignificare vult, ſingula ibi enumerata opuſcula ab ſe in Latinum converſa fuiſſe; ſed poſtrema duo, hoc eſt *Chronicum Canonem*, & librum *De Locis Hebraicis* Latio quidem donaſſe, primum autem, nempe *Eccleſiaſticam Hiſtoriam*, laudaſſe tantummodo.

Ad hæc animum minime advertit Veronenſis editor Operum S. Hieronymi, qui quum in Part. II. §. XXVIII. *Præfationis Generalis* de iis S. Doctoris ſcriptionibus minutius diſſerat, *quæ vulgato quidem doctorum judicio deperditæ exiſtimantur*, ipſe *vero minime* ar-

arbitratur *elucubratas*, hanc, quæ dubio procul ad eam classem referri debet, prorsus omisit.

XVII. Tertium eruditi ejusdem viri argumentum ad Rufini Versionem vindicandam illud est, S. Hieronymum, qui reliquas auctoris illius interpretationes insectatus est, Eusebianæ Historiæ Translationem, quam ceteroqui optime noverat, ubique intactam præteriisse. At non unicum est ad hanc difficultatem solvendam responsum.

Primo enim Apologetici libri adversus Rufinum, in quibus Hieronymus ejusdem interpretationes carpit ubique insectaturque, anno Eræ Vulgaris CCCCI. & sequenti scripti ab eo fuerunt. Eo tempore Eusebianæ Historiæ Versio nondum studiosorum manibus terebatur; sed eidem vacabat Rufinus, absolutamque edidit dumtaxat vel eodem anno CCCCI., vel proxime subsequenti. Quare minime mirandum est, illam ab Hieronymo, qui tunc in Oriente versabatur, non perstringi.

Deinde vero veritati haud consonum est, reliquas omnes Rufini interpretationes ab Hieronymo sugillatas fuisse. Multa enim Basilii Magni opuscula latine reddidit Rufinus, item Clementis Romani *Recognitio-*

nes, & Anatolii Alexandrini *Canonem Paſchalem*, quæ nuſpiam, quod quidem ſciam, ab Hieronymo vituperantur. Addam inſuper quaſdam maximis etiam ab eo laudibus affici, ut translatio opuſculorum Gregorii Nazianzeni, de qua ita S. Doctor *Apologiæ* Lib. I., Rufinum ipſum alloquens: *En tu, qui in me parvam criminaris ſcientiam, & videris tibi litteratulus atque Rabbi, reſponde, cur ſcribere aliqua auſus ſis, & virum diſertiſſimum Gregorium pari eloquii ſplendore transferre. Unde tibi tanta verborum copia, ſententiarum lumen, translationum varietas, homini, qui oratoriam vix primis labris in adoleſcentia deguſtaſti? Aut ego fallor, aut tu Ciceronem occulte lectitas, & ideo tam diſertus es; mihique lectionis ejus crimen intendis, ut ſolus inter Eccleſiaſticos Tractatores eloquentiæ flumine glorieris*. Et tamen eadem vitia in hac quoque Rufini Verſione recentiores Critici notant, quæ in Interpretatione Euſebii ab iiſdem culpantur.

Vellicatam hanc etiam Nazianzeni tranſlationem ab Hieronymo ſcribit quidem P. Cacciarius Part. III. Differt. Apol. §. I. pag. 145. At ſi hoc ſit vellicare aliquid, quid ſit illud idem laudare, haud equidem ca-

capio. Forte erudito Viro visum fuit, Hieronymum ironice locutum. At minime verborum ejus sensum assequutus est, qui ita judicet. Gentilium Scriptorum studium Hieronymo objecerat Rufinus. Purgat se pluribus S. Doctor, ac tandem in adversarium idem crimen retorquet; quod ut probet, paullo ante memorata verba affert. Porro quum serio, non ficte probare intendat Hieronymus Rufinum ethnicorum auctorum lectioni vacare, consequens etiam est, eum non ficte & ironice, sed serio atque ex animo loqui, aliter enim suam ipsemet probationem destrueret. Neque est, quod Vir eruditus cavillandi ansam arripiat ex illis vocibus *ausus es*, quasi laudi verti haud possit quod nimis audacter tentatum. Ut enim D. Hieronymi mens plane eo loco perspiciatur, animadvertendum est Nazianzenum, præter argumenti magnificentiam & sublimitatem, quæ doctum desiderat interpretem, sermonis blandimenta, floridumque dicendi genus adamasse, obscuris allusionibus, & argutiis identidem inspersum, quorum maxima pars quum in verbis fere consistat, inde est ut difficillimum sit ejus scripta ita latine reddere, ut nativum splendo-

dorem, & germanam auctoris faciem repræsentent; quod in caussa fuit cur *Erasmus Roterodamus*, quamquam doctissimus, & græce scientissimus, ab eo scriptore interpretando semper deterritus sit, ut ipsemet ingenue fatetur in Epistola MCLXXXVII. ad Georgium Saxoniæ Ducem. Quum igitur Hieronymus ait Rufinum opus hujusmodi aggredi *ausum fuisse*, maxima vero *verborum copia*, *sententiarum lumine*, *translationum varietate*, denique *pari eloquii splendore* id exsequutum esse; *audendi* vox in bonam partem sumenda est, pro præclaro scilicet facinore, uti prorsus apud Catullum de Cornelio Nepote:

Jam tum, quum ausus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis.

Tertio denique respondeo, in iis etiam Rufini versionibus, quas Hieronymus insectatus est, non meras interpolationes & additamenta, quæ unico historiæ augendæ studio intertexta fuerant, displicuisse S. Doctori, sed interpolationes, ex quibus pessimi oriri poterant effectus, incautique lectores in maximos errores induci: Hinc est, quod *Apologiæ* Lib. I. ad novam librorum Origenis περὶ Ἀρχῶν interpretationem adornan-

nandam ideo ſe impulſum fuiſſe ſcribit, quia ejus familiares querebantur, eoſdem Origenis libros a Rufino *fraudulenter eſſe tranſlatos, & interpolata nonnulla, & vel addita, vel mutata ...... quæ Origenes de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto impie dixerat: & quæ Romanæ aures ferre non poterant, in meliorem partem ab interprete commutata*: quum interim quamplurima falſa & peſtilentiſſima ejuſdem auctoris dogmata intacta reliquiſſet; ex quo illud incomodi conſequebatur: *ut qui in Trinitate catholicum* (Origenem) *legerat, in aliis hæreticum non caveret*. Quare ita Rufinum perſtringit S. Doctor: *Aut totum muta, quod malum eſt: aut totum prode, quod optimum putas. Si propter ſimplices noxia quæque detruncas, & ea quæ ab hæreticis addita ſimulas, in peregrinum non vis transferre ſermonem, cede quidquid eſt noxium. Sin autem veritatis fidem in tranſlatione conſervas, cur alia mutas, & alia dimittis intacta?* Et Lib. II. *Utinam præcidiſſes mala, & non in aſſertionem malorum, tua multa poſuiſſes*. Poſtremo inter ſuam ipſius, & Rufini verſionem hanc differentiam ſtatuit: *In Libris* περὶ Ἀρχῶν *ſimpliciter, quod in Græco habebatur expreſſi:*
non

non ut crederet lector his quæ interpretabar; sed ne crederet illis, quæ tu ante transtuleras. Duplex in opere meo utilitas fuit, dum & hæreticus auctor proditur, & non verus interpres arguitur..... Prior translatio laudem auctoris continet: secunda vituperationem. Illa lectorem provocat ad credendum: ista ad non credendum movet. Hinc pariter est, quod Hieronymus in primo & secundo ejusdem *Apologiæ* libro Rufino vitio vertit, quod sub ementito Pamphili Martyris nomine, qui (ut ipse quidem eo loco sentit, atque Eusebii auctoritate probat) nihil unquam scripserat præter Epistolas quasdam, Eusebii *Apologeticon pro Origene* evulgaverit, in quo, ait Rufinum alloquens: *Paucis testimoniis de Filio Dei, & Spiritu Sancto commutatis, quæ sciebas displicitura Romanis, cetera usque ad finem integra dimisisti. Hoc idem faciens in Apologia, quasi Pamphili, quod etiam in Origenis* περὶ Ἀρχῶν *translatione fecisti.* Ex quo illud consequutum est ut *eo libro vulneratæ sint conscientiæ plurimorum. Non valet apud eos super Origenis damnatione Episcoporum auctoritas, quem putant a Martyre prædicatum. Quid facient Epistolæ Theophili Episcopi? Quid Papæ Anastasii in toto orbe hæreticum per-*

persequentes, quum liber tuus sub nomine Pamphili editus pugnet contra Epistolas eorum, & Episcopali nomini testimonium Martyris opponatur? Huc pariter spectat Hieronymi querela de libro *Sententiarum* Xysti Pythagoræi, sub falso Sixti Papæ ac Martyris titulo a Rufino edito, contra quam fraudem ita invehitur S. Doctor Epist. XLIII. ad Ctesiphontem: *Illam autem temeritatem, immo insaniam ejus* (Rufini) *quis digno possit explicare sermone, quod librum Xysti Pythagoræi, hominis absque Christo atque Ethnici, immutato nomine, Sixti Martyris & Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotaverit? in quo juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, & de ejus dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur; ut qui volumen Philosophi nesciunt, sub Martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla Christi fit mentio; ut Episcopum & Martyrem sine Christi fide fuisse contendat. Unde & vos* (Pelagiani) *plurima contra Ecclesiam usurpatis testimonia.* Et sane Pelagius ipse quasdam sententias ex eo libro pro sua hæresi attulerat, quas *S. Augustinus* in libro *De Natura, & Gratia*, in quo

Pelagium confutat, interpretando, & in rectum sensum inflectendo, ita defendere conatus est, tanquam revera Sixti Romani Pontificis & Martyris fuissent, ut ipsemet *Retractationum* Lib. II. Cap. XLII. ingenue fatetur. *Sed postea*, ait, *legi Xysti Philosophi esse, non Sixti Christiani*. Quod in Hieronymi scriptis percurrendis ei accidisse verisimillimum est.

Mirandum prorsus, ut id obiter innuam, *Justum Fontaninum*, qui in opere de *Historia Litteraria Aquilejensi* res Rufini omnes curiosissime persecutus est, persuadere sibi potuisse, *Augustinum, perlecto ipso Xysti libro, & Rufini Prologo, fucum ab haeresiarcha sibi factum agnovisse*, ut ait Lib. V. Cap. VIII. §. VI. laudati operis; quum in eo Rufini Prologo legatur: *Sixtum in Latinum verti: quem Sixtum ipsum esse tradunt, qui apud vos idem in urbe Romana Sixtus vocatur, Episcopi, & Martyris gloria decoratus;* quibus verbis in errorem potius pertrahi potuisse Augustinum nemo non videt. Lepidissimum vero est, quod eodem loco subjungit Fontaninus: *Certe, ut statim agnosceret, una prologi inspectio sufficere poterat, quomodo sufficit Gennadio, qui in veneranda*

anti-

antiquitatis codice Vaticano Alexandrino num. 8. post Hieronymi Catalogum Cap. CLII., vel XVII. latinas Rufini versiones enumerans, ait, eum Xysti Romani sententias exhibuisse: ubi non sane Romanae urbis Episcopum, nec Martyrem dicit. Quasi verò Gennadius ex Augustini, aut Hieronymi operibus illud discere non potuerit: Fontanino vero fuerit revelatum ex eo Prologo id agnovisse. Ne quid interim dicam de Augustini scribendi formula, *sed postea legi*, ex qua non Rufini Prologum, aut Xysti librum dum legeret, sed ex alio sane scriptore inspecto, qui rem ipsam patefaceret, erroremque detegeret, verum illius libri auctorem sibi innotuisse, certo certius evincitur.

Porro quum in Eusebianae Historiae Versione nihil ementito auctorum nomine a Rufino editum sit, nullae in ea occurrant pravae Interpretis sententiae, nihil denique quod Martyrum nomini officiat: sed illam dumtaxat interpolaverit, vel historiae augendae studio, vel ut quae sibi supervacanea videbantur, resecaret, atque multo ordinatiorem redderet; non est sane exspectandum ut a Hieronymo reprehendatur, etiamsi concederemus Versionem illam optime no-

vifle, atque ad examen revocaffe; quum præfertim & ipfe Hieronymus tale quidpiam commiferit in ejufdem Eufebii *Chronicis* vertendis, quibus plurima ad Latinorum res pertinentia, quæ a Græco Hiftoriographo prætermiffa fuerant, de fuo addidit; quo nomine recentiorum Criticorum notam vix effugere valuit. Licet enim in Præfatione ingenue fateatur, fe *& interpretis, & fcriptoris ex parte officio ufum*, & religiofiffime eam Chronicorum partem defignet, quam interpolavit, ait enim: *Itaque a Nino, & Abraham usque ad Trojæ captivitatem pura Græca translatio eft. A Troja ufque ad vicefimum Conftantini annum nunc addita, nunc mixta funt plurima, quæ de Tranquillo, & ceteris illuftribus Hiftoricis curiofiffime excerpfimus. A Conftantini autem fupradicto anno ufque ad Confulatum Auguftorum Valentis VI. & Valentiniani II. totum meum eft;* tamen quod a Troja capta ufque ad XX. Conftantini annum, quæ Eufebii revera fint, quæ vero Interpretis ægre admodum difcerni poffint, male audit apud quofdam Hieronymus, quibus multo fatius videtur, fi quæ addidit ipfe, aut ab Eufebii textu omnino feparaffet, aut faltem nota aliqua ita fingil-

gillatim diſtinxiſſet, ut nunc ab omnibus pro Hieronymianis agnoſci poſſent. Quid plura? *Joſephus Scaliger* in *Prolegomenis* in eadem Chronica Notis a ſe illuſtrata idem Hieronymo vitium objicit, quod Rufino tribuitur, ita enim de eo ſcribit: *Plurima in vertendo mutat, inſulcit, præterit, quod quidem habet commune cum adverſario ſuo Rufino, & multis aliis veteribus*. Quod ſane minime mirum videatur ei, qui quænam fuerit S. Doctoris mens circa optimum interpretandi genus animadverterit. Senſum quærendum eſſe, non verba pluribus locis ipſe docet, præſertim vero Epiſt. XXXIII. ad Pammachium Tom. IV. Part. II. edit. Maurinæ, in qua hoc unum adſtruere nititur, interpretem non verbum e verbo, ſed ſenſum de ſenſu exprimere debere; religionemque ac fidem in interpretando invidioſa κακοζηλίας appellatione traducit; quæ ut probet, omnia ſuſque deque movet, atque Horatium etiam, quamquam invitum, in ſuam ſententiam pertrahere conatur, quod in *Arte Poetica* ſcripſerit:

Nec verbum verbo curabis reddere, fidus Interpres.

Quæ verba, modo recte intelligantur, Hieronymi ſententiam penitus evertunt, ne dum

dum confirment. Quare vir doctissimus *Petrus Daniel Huetius* in libro *De optimo genere interpretandi* hæc in nostram rem habet pag. 66. edit. II. *Quam vero aliis tulit legem* (Hieronymus) *huic ipse non in Scripturæ solum, sed in reliquis etiam interpretationibus studiose obtemperavit. Eusebii Chronicon quanta libertate convertit, pleraque pro arbitrio vel adjiciens, vel recidens, vel in aliam formam diffingens?* Quo tandem minus mirum sit, nullam ab Hieronymo litem Rufino intentari de interpolata Græca Eusebii Historia.

Dixi superius Rufinianam Versionem anno CCCCI., vel proxime sequenti editam fuisse, quamquam mihi haud lateat doctos viros, inter quos V. Cl. *Bernardus Maria de Rubeis Monumentorum Ecclesiæ Aquilejensis* Cap. X. §. VII. in ea esse sententia, ut putent anno CCCC. completam fuisse ab auctore, quod tamen ægre admodum mihi persuaserim. Illius adornandæ provinciam Rufino assignavit Chromatius *tempore, quo diruptis Italiæ claustris ab Alarico Duce Gothorum, se pestifer morbus infudit, & agros, armenta, viros longe, lateque vastavit*, ut testatur ipsemet Rufinus in Epistola ad eundem Chromatium. Quibus verbis, ut ab eruditis viris

ris adnotatum fuit, prima Alarici in Italiam irruptio designari videtur, quæ in annum sæcularem CCCC. incidit, non autem in annum CCCCI., ut perperam ait P. Cacciarius in Notis ad eum Rufini locum: Id ideo fecerat Chromatius, ut suavissima historiarum lectione populi suæ curæ commissi oblivifcerentur malorum, quæ a barbaris passi fuerant. Porro neque vastatio Italiæ, neque Eusebianæ Historiæ Versio ejusmodi res sunt, quæ exiguo temporis spatio perfici possint. Demus igitur anno CCCC. depopulatam ab Alarico Italiam, vastatumque Aquilejensem agrum, demus eodem anno injunctum fuisse Rufino munus Eusebianæ Versionis elaborandæ, demus etiam pluribus occupationibus distentum hominem animum statim ad scribendum appulisse, partemque operis lucubrasse; fatendum certe est, saltem in annum subsequentem ejusdem absolutionem rejiciendam esse.

XVIII. Sed ut ad institutum disceptandi ordinem regrediamur, subdit eruditus P. Cacciarius, Rufinum in Palæstina fuisse trigesimo dumtaxat anno a morte Eusebii, ac diu ibidem commoratum; proindeque cer-

certum omnino esse, Græco codice usum aut autographo, aut certe minime vitiato. Quare quæ Rufino imputantur vitia, ea potius recentiorum codicum esse, qui longo temporis tractu mutationes quasdam passi sunt, corruptique passim fuere; quam quidem communem esse ait doctorum hominum querelam.

Recte id quidem, ac peracute. Nemo certe est qui dubitet, quin codex, quo Rufinus usus est, optimæ notæ fuerit. Do etiam ipsum Eusebii autographum nactum esse. At quam in Rufino licentiam culpantur Critici, eam non vitio codicum tribuunt, sed ipsius Rufini voluntati, qui ægre admodum Eusebianis vestigiis insistens, ac libidini interpolandi nimium indulgens, sciens prudensque liberiore translatione usus sit.

Ceterum Rufino haud defuisse quæ ad Eusebium recte interpretandum facerent, sive codicum integritatem, sive etiam Græcæ & Latinæ linguæ peritiam spectes, fatendum sane est; & recentiores ipsi agnoscunt: quod adeo verum est, ut Valesius ipse ad versionem suam confirmandam, multorumque locorum veram lectionem eruen-

eruendam, Rufini auctoritate utatur; & quidem merito, quum MSS. Codices temporum decursu, & librariorum oscitantia maculas sane multas contraxerint, quibus Rufini Versione, utpote antiquissima, remedium afferri optime possit; atque hæc est communis doctorum hominum querela, ex qua ut inferri rectissime licet ad voculam aliquam rite interpretandam, aut unam alteramve periodum restituendam, Rufini Versionem optime usui esse posse, ita nullus video, qua ratione P. Cacciarius inde extundere valeat, Additamenta quæ Rufino tribuuntur, posterioris ætatis vitio tribui oportere; quum eorum quamplurima, uti superius jam adnotavimus, ejusmodi sint, ut neque a studiosis, neque ab impostoribus, neque tandem ab amanuensibus, quamquam pigerrimis, oriri potuisse videantur.

XIX. Sed cominus congreditur eruditus P. Cacciarius. Quædam legi notat in hodierno Eusebii textu, non vero in Rufiniana Versione, quæ, quum nulla occurrat caussa cur a Rufino prætermissa dicantur, fateri necessum sit, ea post Rufini tempora Græcis exemplaribus ab amanuensibus perperam addita fuisse: ut contra ali-

qua temere fuisse detracta, evidentissime apparet; quod pluribus exemplis confirmat. Singula expendamus.

Primum exemplum est ex Lib. IX. Cap. VII. ubi in Græcis Eusebii codicibus, quos nunc habemus, Maximini Imperatoris rescriptum legitur adversus Christianos, quod in Rufini Versione prorsus desideratur. Porro quum Rufinus aliorum Imperatorum decreta nusquam prætermiserit, neque caussa ulla fingi possit cur hoc missum faceret, dicendum restat, posteriori ætate a librario quopiam in Eusebii textum intrusum fuisse.

Ut huic difficultati occurramus animadvertendum est, eam Maximini ad Civitates Epistolam, de qua nunc est sermo, adeo prolixam, ac verbosam esse, ut Eusebius ipse, qui ceteroqui integram afferre constituerat, eamdem rescindere sit coactus, majori enim illius parte exscripta, ait: *Deinde paucis interjectis, hæc subjungit.* Quod indicio est aliqua ab eo prætermissa fuisse. Rufinus igitur brevitatis studiosus, quum ea historiæ seriem interrumpi potius, quam illustrari videret, omnino abstulit, contentus dumtaxat more suo sensum retulisse,

ac

ac summa exhibuisse capita; quare dici haud potest eam prorsus in ejus Versione desiderari.

Ceterum librariorum studio, *qui serius Graeca Eusebii exemplaria descripserunt*, ut ait P. Cacciarius, minime Epistolam illam referri debere acceptam, satis indicant Historiographi verba, quae audire sane praestat: *Ipsam hoc loco Maximini Epistolam, quam aereis tabulis incisam fuisse diximus, apponere opportunum mihi videtur: tum ut impietas hominis illius plena insolentiae, & arrogantissimae contumaciae perspici possit; tum ut divinae justitiae, quae illum brevi post tempore insecuta est, insomnis & adversus improbos semper armata severitas omnibus manifesto pateat: qua quidem stimulante, haud multo post ea contraria de nobis & sensit, & scriptis legibus constituit. Illius autem rescripti haec omnino sunt verba: Exemplum interpretationis Epistolae, qua Maximinus respondit decretis Civitatum adversus Christianos, ex tabula aenea Tyri descriptae.* Et sequitur Maximini Epistola. Tyrum igitur concessisse oportet librarium illum, quo hujus Epistolae describendae facultas suppeteret; quod nemo certe sibi persuadeat. Contra vero Eusebio

optime quadrant verba illa, quippe qui Tyri aliquando versatus sit, sederitque judex in Synodo ibidem a Constantino Imperatore convocata in caussa Athanasii.

XX. Huic prorsus affine est exemplum, quod P. Cacciarius affert ex Cap. I. ejusdem libri, quo loco Rufinus integram omittit Sabini Epistolam, qua Provinciarum Præsidibus Imperatoris decretum in favorem Christianorum significatur. *Hinc etiam*, ait eruditus Vir, *odorari licet interpolationes aut amanuensium studio, aut licentia occurrentes in Græcis posterioribus Eusebii MSS. libris: ut tandem mirum sit Valesium iisdem usum adeo confidenter, & morose obstrepere Ruffinianæ Versioni. Equidem si exemplum illud in Græcis suis codicibus Ruffinus invenisset, cur sodes prætermitteret?*

Prætermisisset ut plura alia, aut prætermisit omnino, aut detruncavit. Sed Epistolam hanc ab ipsomet Cæsariensi Historiographo, non autem ab ullo amanuensium profectam esse, vel illud argumento est, quod latine erat scripta, quare ait Eusebius: *Eam Epistolam græce nos interpretati sumus in hunc modum*. Ergo amanuensem illum utriusque linguæ peritia adeo instructum

ctum fuiſſe fatebimur, ut Latinam Epiſtolam pereleganter in Græcum ſermonem transferre valeret? Apage nugas.

Eodem ferme modo Rufinus Lib. VI. Cap. XXX. pauca quædam affert ex Epiſtola Dionyſii Alexandrini adverſus Germanum, quamplurima vero ſubticet, quæ in Euſebio leguntur Cap. XL. ejuſdem libri. Supervacanea enim Rufino viſa fuit Dionyſii illa de ſe ipſo narratio, in qua minutiſſima quæque perſequitur. Sic Lib. VII. Cap. VI. & VII. plura fragmenta ex ejuſdem Dionyſii Epiſtolis omittit Rufinus, quæ leguntur apud Euſebium Cap. VII. & VIII. ejuſdem libri. Perpetuo autem in Euſebii codicibus extitiſſe illa, teſtis luculentiſſimus eſt *Georgius Syncellus*, vetus ſane auctor, qui eadem apud Euſebium legit, ut videre eſt in ejus *Chronographia* ad annum CCXLVI. Sic denique Lib. VII. Cap. X. aliarum Dionyſii Epiſtolarum, quas Euſebius Cap. XI. ejuſdem libri recitat, ſummam exhibet Rufinus, potiora quæque delibans.

Hæc Græcis poſterioribus codicibus Euſebianæ Hiſtoriæ acceſſiſſe librariorum ſtudio, contendit P. Cacciarius in Notis. At librariorum

mo-

mores atque indolem numquam penitius perspexisse, satis ostendit Vir eruditus. Festinant enim libenter librarii, & verborum compendia sectantur; neque video qua ratione doctis unquam persuadeat, quæ Patrum loca ab ipsomet Eusebio, licet diligentissimo, ut ipse quidem sibi persuadet, omissa sunt, eadem a librariis & perquiri in fonte, & integra afferri voluisse. Quis tantæ in librariis diligentiæ, liberalitatis, & eruditionis specimina unquam offendit?

Sed mera commenta hæc esse, illud etiam evincit, quod veteres breviatoris laudem Rufino tribuerint. Hinc illud *Sidonii* Lib. IV. Epist. III. *Ut Rufinus stringitur.* Quum enim id de stilo & locutione, in qua potius *profusissimam verbiloquentiam* notant eruditi viri (cujus rei, ut innumera loca nunc sileam, specimen habes §. X hujus Dissertationis in versione Eusebiani loci, in quo de Philea Martyre sermo fit) dici nequeat, necessario de rebus intelligatur oportet, quas summa attingendo capita, & quamplurima resecando, restrinxerit, & in compendium redegerit Rufinus.

Sidoniani hujus loci vim præsensisse videtur eruditus Vir, atque adeo hac eum inter-

terpretatione munivit Part. III. suæ Dissertationis §. I. pag. 143. *Stringitur, hoc est adeo presse loquitur, ut nihil in ipso inutile, seu supervacaneum offendas*. At frustra prorsus, & infeliciter. Reclamat enim Sidonius ipse, quem varias diversorum Patrum dotes ibi designantem, non ad stilum & verba, sed ad res ipsas respexisse evidentissimum est ex ipsius verbis, quæ ita se habent: *Jam si ad sacrosanctos Patres pro comparatione veniatur, instruit ut Hieronymus, destruit ut Lactantius, astruit ut Augustinus, attollitur ut Hilarius, summittitur ut Joannes, ut Basilius corripit, ut Gregorius consolatur, ut Orosius affluit, ut Rufinus stringitur, ut Eusebius narrat, ut Eucherius sollicitat, ut Paullinus provocat, ut Ambrosius perseverat*. Reclamant itidem docti viri, qui Sidonium notis illustrarunt, ita namque *Joannes Savaro* ad eam Sidonii Epistolam: *Hic enim eleganti* (non ait succinto) *stilo perstrinxit historiam*. Immutationes igitur, & compendia, quæ in ejus Versione apparent, non diligentiæ librariorum exemplaria Græca ultro locupletantium, sed Rufino ipsi tribuit antiquitas.

XXI. Quod in Dionysii Epistolis fecit

Ru-

Rufinus, pariter facit Lib. VI. Cap. XXXIII. in Epistola Cornelii Papæ ad Fabium Antiochensem Episcopum de Novato, seu potius Novatiano, cujus fragmenta integra refert Eusebius Cap. XLIII. ejusdem libri, Rufinus vero compendium dumtaxat. Inter reliqua legitur apud Eusebium, Novatianum, quum tres Episcopos e vilissima Italiæ parte Romam accivisset, *eos ille a quibusdam suis simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos hora decima, temulentos & crapula oppressos, adumbrata quadam & inani manuum impositione episcopatum sibi tradere per vim coegisse*. Ad quem locum hanc Notam apponit P. Cacciarius: *Hæc autem ebrietatis, & carceris adjuncta cum silentio a Rufino prætereantur, pronum conjectu est in primigeniis Eusebii codicibus non reperta esse, atque aliunde posterioribus accessisse*. Legitur itidem apud Eusebium de Moyse Presbytero: *Quem etiam* (Novatianum) *Moyses beatissimus Martyr, qui nuper apud nos egregio & admirando martyrio perfunctus est; dum adhuc in vivis esset, audaciam ejus ac furorem perspectum habens, a communione sua separavit una cum quinque Presbyteris, qui se pariter cum illo ab Ecclesiæ corpore abruperant*. Ita vero P. Cacciarius:

rius: *Valesiana editio S. Moysis passionem addit, quæ apud Ruffinum penitus desideratur. Ex quo conjicere est, quanta immutatio in Græcis Eusebii codicibus post Ruffini tempora facta sit.*

Mihi minime mirum est hæc apud Rufinum desiderari, quum is ad verbum non transtulerit fragmenta Epistolarum Cornelii, sed summam dumtaxat exhibuerit. Ceterum & adjuncta illa ebrietatis, & hanc de S. Moyse mentionem in primigeniis Eusebii codicibus revera extitisse, neque a quopiam fuisse addita, quamquam Cornelii Litteræ illæ injuria temporum interciderint, vel ex eo tamen arguere licet, quod apud laudatum *Syncellum*, qui Eusebium transcribit, totidem verbis ea legere sit ad annum CCXLIV.: Moysis vero illius Presbyteri mentio sæpius occurrat etiam in S. Cypriani Epistolis, ut Epist. XV. XXII. XXV. XXXIII. Epistola vero LII. ad Antonianum martyrium quoque subjisse testetur his verbis: *Additum est etiam Novatiano tunc scribente, & quod scripserat sua voce recitante, & Presbytero Moyse, tunc adhuc Confessore, nunc jam Martyre, subscribente, ut lapsis infirmis, & in exitu constitutis pax daretur.*

tur. Quo loco Valesii memoriæ lapsum obiter notare liceat, qui in Notis ad Cap. XLIII. Lib. VI. asserit quidem, *Cornelium in Epistola ad Cyprianum testari, Novatianum a tribus Episcopis consecratum fuisse;* sed, ut verum fateamur, in duabus Cornelii Epistolis ad Cyprianum, quas modo habemus, nihil tale occurrit.

XXII. Sed nullus est locus, qui evidentius ob oculos ponat Rufini in vertendo indolem ac ingenium, quam Cap. XX. & XXI. Lib. VII. quæ respondent Capp. XXII. & XXIII. Eusebianæ Historiæ. Postquam enim fragmenta quædam Epistolarum Dionysii Alexandrini ab Eusebio eo loco recitata, ad verbum transtulisset, decurtando tamen aliqua, quædam vero verbosius more suo interpretando; tandem ejus laboris pertæsus, deserit strictiorem illam vertendi formam, & Cap. XXI. summam dumtaxat verborum Dionysii refert; ut vel cæcus videat amanuensium, quos P. Cacciarius perpetuo objurgat, nullam ibi excogitari posse culpam, sed meræ Rufini libidini totum fore tribuendum. Eusebii enim constans & perpetuus mos est integra ad verbum veterum auctorum fragmenta referre, non au-

tem

tem compendia & summaria, ut facit Rufinus.

Hoc ipsum fit ab Interprete nostro Lib. VII. Cap. XXIII. Aggressus enim longum Dionysii de Joannis Apocalypsi fragmentum transferre, quod apud Eusebium legitur Cap. XXV. ejusdem libri, quibusdam ad verbum interpretatis, quum in longum abiret sermo, si quidem omnes Dionysii conjecturas suis ipsius verbis referre voluisset, ad compendium confugit, atque ita ait: *Utitur ergo Dionysius plurima assertione, divinitus quidem inspiratam Revelationem, non esse dubitandum, & Joannis esse: non tamen sibi liquido videri, quod illius sit Joannis, qui Evangelium scripsit, quia ille nusquam nominis sui fecerit mentionem, ac se esse signaverit nominatim. Hic autem, qui Apocalypsim scripsit, tertio ferme mentionem nominis sui facit. Sed & ex ipso scripturæ stilo discretionem faciens, dicit potuisse fieri in illis temporibus, fuisse & alium aliquem Joannem unum ex sanctis, cui hæc revelaverit Deus.*

Ex quo manifeste falsi arguitur P. Cacciarii commentum, qui in Notis ad eum Rufini locum, de iis omnibus, quæ in Valesiana versione leguntur, non item in Rufinia-

finiana, fidenter fane pronuntiat: *Vereor ne mantiſſæ quædam ſint Græcis codicibus poſterioris ævi aſſutæ a Græco homine, cui ſimiliter perſuaſum foret* (Apocalypſim alterius Joannis eſſe ab Evangeliſta diverſi) *nec enim id abhorret a Græcorum conſuetudine*. Sed *Hieronymus* in libro *De Viris Illuſtribus* Cap. LXIX. teſtis eſt, Dionyſium in libris adverſus Nepotem Epiſcopum, ex quo opere deſumtum eſt fragmentum illud ab Euſebio allatum, *de Apocalypſi Joannis diligentiſſime diſputaſſe*, quod vix ac ne vix quidem comprobari poſſit, ſi eo fragmento Dionyſium ſpoliemus, illudque Græculo cuidam ſtudioſo cum P. Cacciario tribuamus. Ne quid interim dicam de acumine, acerrimique judicii vi, quam in ea diſputatione præſefert Dionyſius, ut merito ſcripſerit doctiſſimus *Valeſius* in Notis: *Ex hoc loco apparet, quantopere in Critica exercitatus fuerit Dionyſius Alexandrinus. Quippe proprium eſt Critici, de ſcriptis veterum judicare, & quod verum ac germanum, quod ſpurium ac ſubditicium opus ſit, diſcernere*. Quæ exquiſita excellentiſſimi acutiſſimique ingenii ſpecimina cuivis de trivio homini communia facere, ut certe facit P. Cacciarius,

perin-

perinde eſt atque aſino lyram accomodare. Sed ſi ea eruditi hujus Viri argumentandi ratio quicquam valeret, jam nullus ſcriptorum locus in tuto eſſet, nulla veterum monumenta, quæ pro lubitu ſuis auctoribus abjudicari, aliis vero affingi non poſſent.

XXIII. Venio nunc ad aliud exemplum, quod eruditus Rufini vindex deſumit ex Lib. V. Cap. I. ubi Euſebius ex Epiſtola quadam Eccleſiarum Lugdunenſis, & Viennenſis ad Aſiæ, & Phrygiæ fideles, hæc refert de S. Bibliade Martyre: *Sed & Bibliadem quandam ex eorum numero, qui Chriſti fidem abnegaverant, cum jam Diabolus a ſe abſortam crederet, velletque inſuper damnationem illius cumulare blaſphemia, ad ſupplicium duxit, adigens eam utpote fragilem jam & ignavam, impia de nobis proloqui. Verum illa reſipuit inter cruciatus, ac veluti ex altiſſimo ſomno excitata eſt præſente ſupplicio de æternæ gehennæ cruciatibus ipſam ſubmonente. Et contradicens impiis: Qui fieri poſſet, inquit, ut infantes comederent, quibus ne ſanguinem quidem animantium deguſtare licet. Abhinc Chriſtianam ſe eſſe confeſſa, in conſortium Martyrum relata eſt.* Rufinus in ſua Verſione *Bibliadem* hanc cum *Blandina*, cujus in eadem

Epi-

Epiſtola mentio fit, perperam confudit. Sed quum animavertiſſet in Blandinam minus quadrare ea verba: *ex eorum numero, qui Chriſti fidem abnegaverant, cum jam Diabolus a ſe abſortam crederet, velletque inſuper damnationem illius cumulare blaſphemia, ad ſupplicium duxit, adigens eam utpote fragilem jam & ignavam, impia de nobis proloqui*, quum Blandina a principio, contra omnium exſpectationem firmiſſima in fide ſteterit; ea omnia ſuſtulit.

Nunc audiamus qua ratione ejus Patronus eum tegere, ac purgare nitatur. *Mulierem hanc*, ait ille in Adnotationibus ad hunc locum, *Valeſius ex ſuis Græcis MSS. Bibliadem vocat. In ipſis enim legitur* Βιβλιάδα. *Unde gravi errore confudiſſe Ruffinum ait Blandinam cum Bibliade. At ego vix crediderim Ruffinum vel adeo dormitaſſe, ut non animadverterit in ſuo Græco exemplari mulieris nomen; vel in re graviſſima lectorem fallere voluiſſe. Forte igitur Blandina ſcriptum per errorem invenit. Niſi tamen mendoſe habeant Græci codices Valeſii Bibliadem pro Blandina. Nam & multa perhibent de ſua Bibliade, quorum nullum prorſus veſtigium apud Ruffinum extat. Vertit enim Valeſius: Sed & Bibliadem &c.;*

&

& affert fragmentum a Rufino prætermissum, deinde subdit: *Quis autem tanta hæc præteriturum fuisse putet Ruffinum, si eadem in suo sibi Græco volumine occurrissent? An vero pluris habenda sint Græca exemplaria, quæ nostris temporibus circumferuntur, totque amanuensibus fædari potuere, quam quæ Ruffini ævo, qui sæculo quinto ineunte scripsit, hoc est septuaginta circiter annos post elucubratam Eusebii Historiam?*

Dolendum sane est injuria temporum intercidisse cum Epistolam illam, tum opus Eusebii *De Martyribus*, in quo, ipsomet teste Lib. V. Cap. IV. *Historiæ Ecclesiasticæ*, integram illam inseruerat. Quum enim in ea expressa essent singula Martyrum nomina, qui in illa persecutione passi fuerant, in varias classes distributa, tota hæc lis facillime dirimeretur. Jacturam hanc nihilominus aliquo modo compensat *Gregorius Turonensis*, qui Lib. I. Cap. XLIX. *De gloria Martyrum* eum Catalogum exhibens, in totidem ferme classes distributum, in quot, Eusebio teste, in ipsa Gallicanarum Ecclesiarum Epistola dividebatur; indicio est, eundem vel ex ipsamet Epistola, quæ forte Gregorii Turonensis ætate adhuc extabat, vel

vel saltem ex laudato Eusebii *De Martyribus* opere, ab eo mutuatum fuisse. Porro inter eos, qui feris objecti fuerant, recensetur *Blandina*, quæ revera eo mortis genere martyrium consecuta est. At *Biblis* pariter comparet inter illos, qui diversissimis cruciatibus interemti sunt. Idem legere est in Martyrologiis Adonis, & Notkeri ad Diem II. Junii. Igitur in Epistola Lugdunensium per *Bibliadem*, & *Blandinam*, non una eademque persona, sed alia atque alia designatur; proindeque hodierni Eusebiani codices sinceri esse dignoscuntur, Rufinum autem aut revera dormitasse, aut a suo exemplari deceptum fuisse evincitur.

Neque id impræsentiarum morabor, erudito P. Cacciario perperam visum esse, ex illis Bibliadis ad Judices verbis: *quibus ne sanguinem quidem* (non *carnes*, ut est apud Rufinum) *animantium degustare licet*, colligi posse, *Christianos abstinuisse a carnibus*: quando evidens est, Bibliadem verbis illis alludere voluisse ad legem in Concilio Hierosolymitano ab Apostolis ad tempus latam abstinendi scilicet a sanguine, & suffocato, quæ aliquandiu inter Christianos viguit; qua de re videndus *Natalis Alexander* Differt. X.

in

in Sæc. I. Illud dumtaxat adnotaverim, ex quo capite eruditus P. Cacciarius Rufiniani archetypi fidem & integritatem adstruere satagit, ex eodem capite vel illius vitia & corruptiones, vel Rufini oscitantiam & interpolationem evidentissime demonstrari.

XXIV. Novum exemplum affert P. Cacciarius ex Cap. X. Lib. V. ubi Rufinus innuere videtur Pantænum, secum Alexandriam detulisse Hebraicum Matthæi Evangelium, quod apud Indos repererat; qua de re in hodiernis Eusebii exemplaribus altum est silentium, hoc enim tantum asserit Eusebius, Evangelium illud ad Pantæni usque adventum in Indiam, fuisse servatum: & tamen ita prorsus ut Rufinus vertit a Cæsariensi Historiographo scriptum fuisse, probari posse videtur ex Hieronymo, qui in libro *De Viris Illustribus* Cap.XXXVI. Eusebium sequens ait: *Quod* (Evangelium) *Hebraicis litteris scriptum, revertens Alexandriam, secum detulit*. Quare hæc subdit Rufinianæ gloriæ assertor: *Pantænum ab India redeuntem Alexandriam Matthæi Evangelium secum detulisse, non legit in suo Græco textu Valesius. Sed forte in antiquioribus Eusebii*

MSS. legerant, quos carpit, Ruffinus, & Hieronymus. Sin minus, gratia certe viris eruditissimis habenda est, quando rem sibi aliunde perspectam, ne ipsius memoria interiret, alter huic Historiæ, alter autem suo Catalogo insertam voluit.

Quod Hieronymo, qui in libro *De Viris Illustribus* interpretem non egit, gratiæ habendæ sint, quod rem hanc, de Pantæno agens, memoriæ prodiderit, omnes quidem fateantur: at Rufinum quoque multum eo nomine apud eruditos promeritum esse, ii fortasse inficiabuntur omnes, qui malunt interpretem nihil sibi tribuere, neque suas merces pro alienis venditare. Ac miror prorsus quod eruditus P. Cacciarius, qui hactenus interpolatoris notam a Rufino suo depellere nisus est, laudem etiam ex eadem ei nunc conciliare studeat.

Sed ad ejus argumentum respondens, ajo; sive de suo id addiderit Rufinus, ex eo haustum fonte, ex quo hauserat Hieronymus: sive revera vetustissimi Eusebii codices sententiam illam agnoverint, quod nunc disquirere non vacat; illud constare, totam hanc rem duobus confici verbis, quorum in recentioribus Eusebii codicibus factam

fuisse

fuiſſe jacturam, minime certe mirandum. Quare nihil, quod ad hanc quæſtionem faciat, elici hinc poteſt; quum libenter fateamur & nos, ad unam vel alteram periodum reſtituendam, Rufini Verſionem, utpote antiquiſſimam, maximo uſui eſſe poſſe.

XXV. Præter rem pariter eſt exemplum ex ejuſdem libri Cap. XI. ab erudito P. Cacciario allatum. Quod enim in Rufiniana Verſione quatuor dumtaxat commemorentur Clementis Alexandrini præceptores, Valeſius vero Græco textui adhærens, quintum addat, vel leviſſima codicum varietate id oriri potuit.

At hodiernam Græcorum codicum lectionem genuinam eſſe & ſinceram, Rufinum vero in eo loco vertendo, aut oſcitanter ſe geſſiſſe, aut a ſuo codice fuiſſe deceptum, ſatis ſuperque probat ipſemet *Clemens Alexandrinus* Lib. I. *Stromatum*, ex quo loco fragmentum illud, de quo diſputatur, deſumit Euſebius; ita enim ait Clemens: *τούτων ὁ μὲν ἐπὶ τῆς ἑλλάδος ὁ ἰωνικός. οἱ δὲ ἐπὶ τῆς μεγάλης ἑλλάδος. τῆς κοίλης θάτερος αὐτῶν Συρίας ἦν. ὁ δὲ ἀπ' Αἰγύπτου. ἄλλοι δὲ ἀνὰ τὴν ἀνατολήν. καὶ ταύτης ὁ μὲν τῆς τῶν Ἀσσυρίων. ὁ δὲ ἐν Παλαιστίνῃ ἑβραῖος ἀνέκαθεν ὑστάτῳ δὲ πε-*

a Clemente hic memoratis, quatuor fecerit; cum tamen & ipse totidem in sua versione recenseat. Quum enim de interpretibus queritur Valesius, Musculum, & Christophorsonum intelligit, qui Græca illa verba ita verterunt, ut ex duobus Clementis præceptoribus primo loco ab Eusebio memoratis, quatuor revera fecisse videantur. Ita enim *Christophorsonus* post *Musculum* interpretatur: *Quorum unus Jonicus genere, in Græcia vixit: alter Magnam Græciam incoluit: alter in Cœlesyria natus, ibidem commoratus est: alter ex Ægypto oriundus fuit*.

Illud certe sine risu excipere vix potui, quum scilicet locum quendam nactus eruditus Vir, cujus ope Rufini Versio de reliquis omnibus triumphare posse sibi videbatur, gloriabundus ac gestiens, in hæc verba prorumpit: *Discat jam Valesius, Græca Rufini exemplaria, ex quibus hic lectionem suam hausit, emendatiora iis, quæ nunc extant, fuisse, ac proinde cautius ipsius versionem ex Græcis archetypis nostrorum temporum arguendam*. At eximium hunc scientiæ thesaurum ab erudito Viro reseratum, jam adeamus.

Locus est ex Cap. XVII. Lib. V., in quo in hodiernis Græcis codicibus error irrepsit

in

in nomine *Miltiadis*, ut ejus loco *Alcibiades* legatur, quemadmodum Cap. proxime antecedenti loco *Alcibiadis*, *Miltiadis* nomen substitutum est. In Rufini autem Versione *Miltiades* quidem recte legitur Cap. XVII.: at proxime antecedenti Capite nihil prorsus videre est; quod more suo integrum innominati auctoris fragmentum ab Eusebio ibidem allatum, prætermiserit, quod etiam Apollinari Hierapolitano, cujus minime est, perperam ab eo tribuitur. En amplissimum illum doctrinæ fontem a P. Caccia- rio detectum, ex quo, ipso monente, Valesius, ex quo omnes, tot tantaque discere debemus.

At pro nihilo prorsus censenda esset Rufini Interpretatio, nisi ad hæc minutiora restituenda quicquam adjumenti esset. Graviora etiam vulnera ejus ope sanari possunt, ut certe sanarunt recentiores. Sed nihil id ad Rufini, qui voluntate potius quam imprudentia peccavit, fidem integritatemque tutandam: nihil itidem, aut certe parum, ad codicis sinceritatem, quo is utebatur, evincendam facit; quem quidem codicem suis nævis haud caruisse, jam satis demonstravimus.

XXVI.

XXVI. Postremum exemplum desumit P. Cacciarius ex Lib. VIII. Cap. XII., in quo agitur de Martyribus Antiochiæ. Quum enim in hodiernis Eusebii codicibus legatur dumtaxat: *Alii dextras suas in ignem immittere maluerunt, quam impia libamenta contingere:* contra vero in Rufini Versione hæc latius explicentur hoc modo: *Sed inter hæc nobilium duorum juvenum factum memorabile silere æquum non puto. Qui cum comprehensi simulacris immolare cogerentur, ajunt: ducite nos ad aras. Et cum fuissent adducti, manus suas ardenti igni superponentes, si subtraxerimus, inquiunt, sacrificasse nos credite. Et quoadusque caro omnis in ignem difflueret, immobiliter perdurarunt;* eruditus Vir, qui nullum non movet lapidem, quo Rufinianæ Versioni fidem & auctoritatem, quam ei eruditi omnes denegant, quo jure quave injuria concilict, hanc ibi Notam apponit: *Duorum horum Juvenum nomina ignorantur: sed & factum lateret nisi a Rufino didicissemus; desideratur quippe in Valesiana editione. Quantæ in Græcis posterioribus codicibus additiones, ut alias dictum est, immo & detractiones, prout nunc vides!*

Sed rectius profecto exclamasset: Quam sibi

ſibi perpetuo conſtans Rufinus, modo Euſebium latius ſeſe explicantem contrahit, modo vero eundem preſſius loquentem enucleat atque declarat! Illud idem enim hoc loco præſtitit Rufinus, quod innumeris aliis, præſertim vero Lib. VI. Cap. VIII., ubi, ut ſuperius a nobis adnotatum eſt, clarius expreſſit revelationem de Alexandro Hieroſolymitanis factam, quam Euſebius Cap. XI. ejuſdem libri, non ſatis perſpicue narraverat. Ut quid enim in amanuenſes culpa hic referatur, quando illis tam minimo laboris diſpendio ea Rufini verba tranſcribere in promtu erat, ſi quidem in Euſebii codicibus eadem offendiſſent?

XXVII. His fere exemplis pro ſententia ſua pugnat eruditus P. Cacciarius; quibus noſmetipſi novum addere robur minime recuſamus, tum ne ea, quæ cauſſæ noſtræ minus favent, conſulto præteriiſſe videamur, tum etiam ne ulla ei ſubſit querendi occaſio, ſuarum rationum vim ac pondus minus ſincere, aut perſunctorie repræſentata a nobis fuiſſe. Igitur Rufinus Lib. VI. Cap. XVII. hæc habet de Origene: *Quo in tempore* (mortuo Urbano Rom. Pont.) *Origenes rogatus eſt ab Eccleſiis, quæ ſunt apud Achaiam,*

jam, ut illo usque pro convincendis hæreticis, qui inibi liberius convaluerant, perveniret. Quo cum pergeret, & iter necessario ageret per Palæstinam, presbyter apud Cæsaream ab illius provinciæ Episcopis ordinatur. Hæc eadem habet Eusebius Cap. XXIII. ejusdem libri; sed qua de caussa iter in Achajam susceperit Origenes, explicate non exprimit, ait enim: καθ' ὃς ὁ ὠριγένης ἐπειγούσης χρείας ἐκκλησιαστικῶν ἕνεκα πραγμάτων ἐπὶ τὴν ἑλλάδα στειλάμενος τὴν διὰ παλαιστίνης, πρεσβυτερίου χειροθεσίαν ἐν καισαρείᾳ πρὸς τῶν τῇδε ἐπισκόπων ἀναλαμβάνει. *Quo tempore Origenes compellente ipsum necessitate ob Ecclesiastica negotia in Achajam profectus: cum per Palæstinam transiret, Presbyterii gradum per impositionem manuum Cæsareæ ab illius regionis Episcopis accepit.* Exprimit tamen *Hieronymus* Cap. LIV. *De Viris Illustribus* (in quo opere, uti diximus, Eusebium ducem sequitur) ita de Origene loquens: *Cum jam mediæ esset ætatis, & propter Ecclesias Achajæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiasticæ epistolæ Athenas per Palæstinam pergeret, a Theoctisto & Alexandro, Cæsareæ & Hierosolymorum Episcopis, presbyter ordinatus, Demetrii offendit animum &c.*

Rur-

Rurfus Eufebius Lib. IV. Cap. XXVII. Apollinaris Hierapolitani Epifcopi opera recenfens, *libros duos adverfus Judæos* commemorat; quos haudquaquam agnofcit Rufinus. De iis *Hieronymus* in laudato *De Viris Illuftribus* libro Cap. XXVI. pariter filet, Apollinaris ceteroquin reliqua omnia opera eodem quo Eufebius ordine enumerans.

Demum Rufinus Lib. VI. Cap. XVI. de Paulli Apoftoli Epiftola ad Hebræos ait: *Quæ etiam nunc apud Latinos putatur non effe Paulli.* Eufebius non loquitur generatim de omnibus Latinis, fed de quibufdam dumtaxat, ait enim Cap. XX. ejufdem libri: *Sane hæc Epiftola etiamnum a quibufdam Romanis Apoftoli effe non creditur.* At *Hieronymus* Cap. LIX. memorati operis Rufino iterum favet, ita fcribens: *Sed & apud Romanos ufque hodie quafi Paulli Apoftoli non habetur.*

Favet pariter Cap. LXIII., ubi libros a Julio Africano exaratos referens, nullam mentionem facit eorum, qui κεςῶν titulo infcribebantur, quos pariter filentio præteriit Rufinus Lib. VI. Cap. XXIII. Eufebius vero enumerat Cap. XXXI. ejufdem libri. Ergo, ex his omnibus inferat aliquis,

antiquissimorum Eusebii codicum multo diversa erat lectio ab ea, quam recentiores præferunt, hique tractu temporis tum additamentis, tum detractionibus quampluri- mis interpolati fuerunt; quod plane illud est, in quo probando eruditus Rufini pro: pugnator & vindex hactenus desudavit, sed nondum tamen ab eo ostensum est. Sane minus elumbia videantur argumenta hæc, quam reliqua hucusque ab eodem prolata: sed tamen non ejusmodi sunt, ut propterea vel tantillum a sententia nostra sit recedendum.

Ad primum enim quod attinet, notandum est, Eusebium laudato loco, post allata verba statim addere: *Porro qui deinceps motus ejus caussa fuerint concitati, & quæ super iisdem motibus a Præsulibus Ecclesiarum constituta sint: & quæcumque alia vigens ipse ac florens in prædicatione verbi divini contulit, cum proprium opus requirant, in secundo libro defensionis quam pro illo conscripsimus, sufficienter a nobis sunt exposita.* Pro certo igitur habendum est, Hieronymum ex Pamphili *Apologia pro Origene* hic ab Eusebio memorata, quæ (si primum librum excipias, a Rufino latinitate donatum) æta-

tem

tem non tulit, notitiam illam penitiorem de Achajæ Ecclesiis ab hæreticis vexatis, hausisse; cujus rei vel illud indicio est, quod Hieronymus Episcoporum quoque nomina exprimat, a quibus Origenes sacerdotio initiatus fuit, quæ in *Historia Ecclesiastica* Eusebii non apparent: sed expressa quidem fuerint in laudata *Apologia*. Porro ex hoc eodem utique fonte etiam Rufinus verba illa derivavit, moreque suo Eusebiano textui interseruit.

Ad secundum argumentum respondeo, nihil prorsus ex eo confici; monet enim accuratissimus Valesius in Notis ad eum Eusebii locum, eadem verba in tribus MSS. codicibus, hoc est Mazarino, Medicæo, & Fuketiano desiderari. Sive igitur illa a Rufini, & Hieronymi exemplaribus absuerint amanuensium negligentia, sive in hodiernis occurrant lectoris alicujus studio, qui ea ad marginem apposuerit, postea in textum irrepserint, sive denique auctor ipse additamentum illud, ut fere fit, serius operi suo inseruerit, ex quo factum sit, ut eo aliqui codices careant, aliqui vero idem præferant, quod divinare prorsus est; illud constat, recentiorum Eusebii codicum fidem satis in

tuto

tuto poni ex eo, quod maxima eorum pars illud idem minime agnoſcant.

Quod ad tertium argumentum ſpectat, caſtigat quidem Hieronymum in Notis ad Cap. LIX. *De Viris Illuſtribus Jo. Albertus Fabricius*, aitque *apud Romanos quoſdam* dicendum ei fuiſſe ex Euſebio. At Hieronymi cum Rufino conſenſus, meum animum potius inclinat ut credam, Euſebii exemplaria aliquam revera eo loci mutationem paſſa fuiſſe, quum præſertim idem Euſebius Lib. III. Cap. III. de eadem re verba faciens, generatim de univerſa Romana Eccleſia loquatur hoc modo: *Sciendum tamen eſt, Epiſtolam ad Hebræos a nonnullis ideo eſſe repudiatam, quod dicerent eam ab Eccleſia Romana pro certa ac genuina Paulli Epiſtola non haberi.*

Gloſſema pariter ſtudioſi cujuſdam cenſendum eſt (ut poſtremum argumentum ſolvam) quod in Euſebio legitur de libris κεςῶν titulo inſcriptis, qui Julio Africano tribuuntur. Alius enim omnino videtur eſſe illorum auctor ab Africano Chronographo, de quo agit Euſebius, quum iſte ex Palæſtina oriundus, & Chriſtianus fuerit: illum vero ex Libya, & Gentilem fuiſſe appa-

reat;

reat; ut erudite animadvertit *Valesius* in Notis ad Cap. XXXI. Lib. VI. Verum leviusculis hujusmodi interpolationibus in hodiernis Eusebii codicibus a nobis concessis, non statim palma Rufino tribuenda, aut ejus Versio cum P. Cacciario ut exactissima venditanda, omnibusque aliis præferenda erit. Fassi enim sæpius jam sumus, iterumque fatemur, ad lectiones quasdam restituendas, Interpretationem illam haudquaquam inutilem esse. Quare neque ex hoc capite, neque ex superius adductis, elici quicquam potest, quo labanti Rufinianæ gloriæ ex parte aliqua succurratur.

XXVIII. Alio se recipit eruditus Rufini patronus, objicitque recentiorum versiones maximis vitiis scatere. Musculianam redargui a Suffrido Petro, Edovardo Godsalfo, Joanne Curterio, & Valesio: Christophorsonianam ab iisdem Curterio, & Valesio, nec non a Petro Halloixio; quibus quidem addere poterat *Huetium De Claris Interpretibus* pag. 235., & *Eliam Dupinum* in *Nova Bibliotheca Auctor. Eccles.* Valesianam denique suos & ipsam nævos habere, uti ex Censura Raphaelis Vernazzæ liquet, quam in medium profert, quod validius

etiam

etiam ab ipso probari poterat, si libuisset, auctoritate Clarissimorum Virorum, quorum criticas Observationes in unum collegit, & publici juris fecit, *Guilielmus Reading* in præstantissima Cantabrigiensi Eusebianæ Historiæ editione: item *Jo. Alberti Fabricii*, *Ernesti Tentzelii*, & *Salomonis Cypriani*, qui, ut plerosque alios omittam, in suis ad S. Hieronymi librum *De Viris Illustribus* Adnotationibus Valesii versionem passim carpunt, notantque.

Id porro verissimum est. Recentiorum Versiones non adeo numeris omnibus absolutæ sunt, ut nihil a quoquam perfectius excogitari, ne dicam perfici, possit. Certum hoc indubitatumque esse, vel illud ostendit, quod doctissimi quidem, eruditissimique homines fuerunt, qui manus iisdem adornandis admovere, & cum Græca, tum Latina lingua, si Musculum fortasse excipias, satis instructi: at homines tamen, proindeque errori obnoxii. Sed quid quæso inde colligatur ad Rufini in vertendo fidem tutandam, quod totis viribus præstare nititur P. Cacciarius? Forte illius Interpretationem adeo accuratam esse, ut nihil prorsus ei desit? At homo & ille fuit, atque adeo communi omnibus

nibus hominibus errandi necessitati subjectus. Et sane erravit in multis, ut a doctissimis viris evidenter demonstratum est; atque recentiorum versiones eo Rufinianæ præstant, quod & pressius Græco exemplari adhæreant, & ab erroribus sibi caveant, in quos vetus Interpres incurrit: quorum quidem in Rufino vitiorum alterum voluntatis est, alterum vero humanæ conditionis.

XXIX. Restat postremum P. Cacciarii pro Rufino argumentum, scilicet Valesium ipsum *semper* in Eusebio interpretando Rufino duce fuisse usum, ejusque Versionem quasi facem præviam secutum esse. Sed quam parum veritati id consonum sit, vel ea *Valesii* superius a nobis relata verba, satis superque evincunt. *Quot Eusebii loca ab illo* (Rufino) *perperam accepta, & interpretata sunt?* Quis enim sibi persuadeat, Valesium Rufino duce uti maluisse etiam in iis, in quibus Eusebium perperam ab illo interpretatum fuisse ultro fatetur? Allato jam loco, alterum hic adtexamus ex eadem *Præfatione*: *Si quis Adnotationes meas legerit* (ait Valesius) *aut interpretationem meam cum illorum* (Eusebii Interpretum) *versione conferre voluerit, intelliget profecto*

P quot

quot quantisque erroribus refertæ sint illorum interpretationes, nec sine caussa novam Eusebii versionem mihi a vobis injunctam fuisse. Sed quoniam non voluntate, sed necessitate quadam in hunc sermonem delapsus sum, de superiorum Interpretum vitiis summatim pauca dicam. Nam si cuncta illorum σφαλμάτα singillatim vellem percensere, in immensum extenderetur oratio &c. ac statim a Rufino initium ducit.

Porro nemo sibi fingat, Valesium adeo bardum ac stupidum, ut tot illos tantosque Rufini errores ac sphalmata, & amplecti, & in suam ipse interpretationem recipere vellet. Sequitur igitur Rufinum Valesius, & merito sequitur, quum Græco textui penitius adhæret, quum recte interpretatur, ac ope codicis certe antiquissimi, quo utebatur, meliorem purioremque lectionem exhibet: at eundem identidem deserit, quum a Græcis Eusebii vocibus, ac sententiis, quod sæpissime accidit, longe aberrat, quum labitur, atque aut decipit ipse, aut decipitur.

Quare fatendum tandem est, argumenta, & rationes universæ, ab erudito P. Cacciario excogitatæ, ut Rufinum suum a Criticorum criminationibus vindicaret, nihil

pro-

propemodum valere, sive referantur ad ejusdem in interpretando fidem integritatemque tuendam: sive etiam ad illius Eusebianæ Versionis præ recentioribus præstantiam & dignitatem comprobandam. Nam quod attinet ad hoc postremum, nihil prorsus attendendum puto, quod idem eruditus Vir subdit Part. III. §. IV. pag. 174. suæ Dissertationis, scilicet: *Inter scriptores, eos majoris laudis dignos esse, qui aliis subsidia præstant, quam qui alienis opibus egentes, eas a ditiori mutuari coguntur;* proindeque Rufinum præstare Valesio, quia Valesius Rufinum aliquando sequitur, non autem contra. Nisi enim in re seria versaremur, argutari ac ludere potius eum voluisse censerem, quam Rufinum eo nomine celebrare.

XXX. Hæc cum ita sint, miror prorsus erudito Theologo quædam in illa sua Apologetica pro Rufino Dissertatione excidisse, quæ a doctis cordatisque viris non satis probari possint. Prætereo enim quod recentiores Eusebii Interpretes, quia scilicet ea, neque tamen omnia, in Rufino notarunt, quæ multo antea, multoque acrius S. Hieronymus notaverat, impudentiæ accusare non vereatur: illud certe satis assequi nequeo, quum

tot, tantique doctissimi viri censoriam in Rufino castigando virgulam exercuerint, cur unum ipse Miræum exagitet, hunc insectetur, verbisque acerbioribus excipiat: quando præsertim nihil apud Miræum de Rufino legitur, quod non habeat Vossius loco jam a nobis superius laudato, atque illud idem & ante, & post Miræum confirmarint, immo altius redarguerint innumeri propemodum Critici, tum ex Heterodoxis, tum etiam ex Catholicis.

Sed eruditum ipsum Theologum audire præstat, studio Rufini sui tegendi nimis profecto abreptum. Queritur igitur Dissertationis suæ Part. III. §. I. pag. 144. a Miræo pronuntiatúm, multa quidem Rufinum addidisse, detraxisse, & mutasse, at interim tamen *hoc vago accusationis genere contentum* (Miræum) *nihil definitum ad probandum attulisse: non indicasse lacinias: non loca mutilata ostendisse: factas quoque immutationes omnino prætermisisse*. Ex quo infert futurum fuisse Miræo percommodum, si totum illud Scholion expunxisset: *Multo enim*, inquit, *præstare videbatur stilo temperare, quam lectoris fide abuti, ut ei censura, quasi ex tripode profecta credenda propinaretur*. Quasi vero Rufinianæ immutatio-

nes,

nes, & additamenta longius ſint perquirenda, & Euſebianam Hiſtoriam percurrenti, immo vel Cap. I. Lib. I. obiter conferenti, obvia non ſint, ſtatimque in oculos incurrant.

Sed multo etiam vehementius in Miræum invehitur eruditus Theologus pag. 149. ejuſdem Diſſertationis. *Quæ cum ita ſint* (ait) *an non merito ſubimpudentem dixerim Miræi cenſuram? Scilicet quæ verecundia eſſe poteſt univerſæ antiquitatis ſenſui refragari? Eccleſiæ judicium tacita reprehenſione perſtringere? atque adeo ejus exiſtimationem, & auctoritatem apud fideles elevare? Jam quæ Ado Viennenſis ex Ruffiniana verſione tradit de Martyribus; ex eoque, vel ex Ruffino publice legenda præcipit Latina Eccleſia, ſi credimus Miræo, citra pietatis regulam jus erit cenſere apocrypha; ipſam vero Eccleſiam, quæ ſic fidelibus imponit, omnino ſimplicem, vel rudem; ſin minus imprudentem, aut incautam ſuſpicari.*

Qui Miræi verba numquam legiſſet, facinuſque ab eo perpetratum minime noſſet, facile, hæc audiens, in eam opinionem deſcenderet, miſerum hominem, aut in Reipublicæ exitium, aut in Eccleſiæ ſubverſionem omnino conſpiraſſe. Itane igitur de pio eruditoque Antverpienſi Canonico & ſentire,

&

& scribere licitum sibi esse duxit Propagandæ Fidei Theologus? Quod scilicet ille, quæ tot clarissimi, doctissimique viri libere profitentur, litterisque prodidere; quæ & verissima sunt, & nihil, aut sane parum Rufini existimationi officiunt, usurpaverit, suaque fecerit?

XXXI. Sed neque mitior est, aut moderatior Romanus Theologus, quum de Valesio, ejusque versione sermonem habet. Part. III. §. III. pag. 160. ejusdem Dissertationis Valesius, ait, Rufinum *aggreditur, urget exagitat; eaque, ut suspicor, falsa opinione adductus, versionis suæ gloriam assurgere non posse, nisi Ruffinianæ depressione*. Quæ suspicio quam vana sit, quam a vero abhorrens, superius adversus Fontaninum probatum fuit.

Eodem loco (pag. 164.) postquam fassus est, Valesii interpretationem posterioris ævi approbatione celebrari, de MSS. codicibus ab eodem inspectis, ac collatis differens, addit: *Quamobrem haud scio, probandum ne magis sit consilium Stephani, qui duo nactus exemplaria, uno propemodo contentus, alterum vix attigit; an Valesii, qui ex tam multis notis, & codicibus talem nobis congessit textum, qualis facile credatur musivum opus quoddam, non*

tam

tam scriptoris, quam evulgatoris artificium redolens. Quibus verbis universam posteriorem ætatem condemnat P. Cacciarius, quæ tam insipiens ac stupida fuerit, ut *musivum opus* pro absolutissimo elegantissimoque opere sibi venditari passa sit.

Misericordia tandem motus eruditus Theologus, liberaliter concedit, Valesii editionem esse commodam, & accuratam: item concinnam, & elegantem; at ne nimis multa largitus esse videretur, evestigio subdit: *Nec enim id laboro, cum tale quidpiam videre sit vel in poeticis centonibus.* Et tamen is idem ille Theologus est, qui in Præfatione sui operis nos certos facit, *in hac Dissertatione semper illud cavisse, ne quid diceret præcipiti, vel occupato animo.* Num quod ipse professus est, revera præstiterit, aliorum judicium esto. Illud dumtaxat monuerim, posteriorem ætatem, quæ ipso quidem judice, calculo suo Valesii translationem comprobavit, neque *poeticis centonibus*, neque *musivis operibus* illam accensuisse. Cumulatissimis eam quidem laudibus exornavit, exosculata est, summoque in pretio habuit, atque tam avide pervolutavit, ut distractis brevi tempore exemplaribus novas subinde, ac novas ejusdem editiones parare necesse fuerit. Et

Et merito ſane communi doctorum hominum, quotquot litteras impenſius colunt, applauſu excepta eſt Valeſiana interpretatio; quippe quæ ſeu diligentiam auctoris in veteribus codicibus conferendis, Criticæque artis peritiam ſpectes, ſeu Græcæ, Latinæque linguæ notionem exquiſitiſſimam, ſeu Eccleſiaſticæ rei notitiam, non quamcumque, ſed interiorem penitioremque, ſeu denique eruditionem, doctrinam, ingenii magnitudinem, judiciique acrimoniam conſideres; omnium abſolutiſſima dici poſſit; quum his *omnibus* præſidiis inſtructus ejus auctor, qui *ingeniorum* ſuæ ætatis *princeps* a V. Cl. *Georgio Grævio* appellatus eſt, animum ad ſcribendum appulerit.

Neque tamen eſt, quod Rufini laudibus quicquam propterea detractum velimus. Fuit & is magno vir ingenio, magnaque eruditione præditus, Græcis item litteris ſatis imbutus, neque iis ſubſidiis omnino deſtitutus, quæ ad optimum informandum interpretem neceſſaria eſſe videntur. Et ſane minime dubium eſt, quin ſi preſſius veſtigiis auctorum, quos interpretatus eſt, inſiſtere voluiſſet, quum præſertim optimorum codicum copia facile ei ſuppeteret, omni pæne labore ac ſollicitudine novas verſiones elucubrandi poſteros ſuos

levaſ-

levasset. At quando libidine veterum scripta innovandi nimium se abripi passus est, & paraphrasim potius, eamque liberiorem, quam pressum interpretandi genus adamavit, occasionem omnem recentioribus haud præripuit cum fructu, & laude idem stadium decurrendi, experiendique quid in eo exercitationis genere & ipsi in communem utilitatem conferre possent.

Hanc, quam diximus, Rufini laudem, & agnoscunt in eo recentiores, & libentissime profitentur, testaturque Valesius ipse, *Fecisse illum quicquid in se fuit, & suo labore nostrum laborem levare ac minuere conatum esse.* Neque audiendus est eruditus P. Cacciarius, qui ut apud credulos Lectores recentioribus invidiam creet, totis viribus conatur ostendere, eos universæ antiquitatis testimonio, quæ Rufini Versionem amplexa est, celebravitque, refragari ausos. Mera argutatio ea est, quam superius deteximus, retudimusque. Quæ enim ab antiquis in Rufini Interpretatione laudantur, laudant & recentiores. Fides autem in vertendo, & integritas, ut in eo a posterioribus vehementer desideratur, ita a nullo antiquorum, quod quidem sciam, aut agnoscitur in illo magnopere, aut celebratur.

XXXII. Quare, ut ad exitum tandem nostra procedat oratio, quod eruditus P. Cacciarius novam Rufinianæ Versionis editionem meditatus sit; quod eam ad MSS. Vaticanos codices diligenter exegerit; quod denique Notis Criticis, Geographicis, Historicis, in tironum præsertim sui Ordinis gratiam, illustraverit; id laudo quidem quammaxime. At quod eandem immodicis interdum laudibus, & minime veris extollat, quod depressione posteriorum eam nobis velut accuratissimam proponat, quod denique clarissimos Viros, qui de Rufino senserunt quod ratio ipsa, & veritas postulant, traducat interdum, irrideat, atque adeo intemperantiæ, impudentiæ, nimiæque libertatis accuset; id neque probo ipse omnino, neque certe probabunt æqui rerum æstimatores, qui suum unicuique tribuere malunt, doctissimosque homines, & de Litteraria Republica optime meritos, omni veneratione ac reverentia dignos existimant.

Negari certe haud potest a sæculo præsertim XVI. ad nostra hæcusque tempora, una cum eruditione ingeniorum quoque licentiam crevisse, Criticam vero Artem a plerisque etiam magni nominis viris ita exercitam, ut quibus argumentis aliquid statuitur, iisdem

paul-

paullo post illud idem subvertatur; adeo ut qui ex illorum scriptis de ea disciplina judicium ferret, subdolam potius astruendi, & destruendi artem eam censeret, quam recte judicandi magistram. Æquum itidem est, ut suus antiquitati honor constet, neque Patrum, Ecclesiasticorumque scriptorum auctoritas aut elevetur, aut minuatur; quod pessimo exemplo, maloque certe animo non pauci, præsertim a communione nostra alieni, tentarunt, tentantque etiamnum. At non propterea recentioribus ademta est facultas de veteribus judicandi: non ideo antiquorum vitia dissimulanda, aut defendenda a nobis sunt. Neque bona caussa dicenda ea est, in qua summa animi contentione clarissimo veritatis lumini nebulas offundimus; adeo ut qui eo mentis acumine præditi non sunt, ut rationum nostrarum pondus excutere & metiri valeant, tantam inde mentis caliginem ac tenebras contrahant, ut quod de veterum scriptis judicium ferendum sit, certo apud se statuere nullo modo possint.

Quod si eruditus P. Cacciarius maximo Rufini ornandi studio tenebatur, quum Litteraria Respublica quid de scriptoris illius Versione, quid etiam de recentiorum interpretationibus sentiendum sit, jampridem op-

 time

time noverit; ſatius multo jucundiuſque ſtudioſis omnibus eſſe videbatur, quam operam in Æthiope dealbando poſuit, eam in perquirendis (qui ceteroquin eruditorum editorum mos eſt) cum veterum, tum recentiorum de Rufino teſtimoniis, quæ nec pauca ſunt, nec parum honorifica, collocare: a cenſura vero recentiorum Euſebii Interpretum ſibi omnino temperare; tum quod merito dubitare debebat, num argumenta a ſe prolata ejus ponderis eſſent, ut quod eruditis omnibus perſuaſum eſt, id in fumum ſtatim ac nebulas converti poſſet: tum etiam, quod verendum ipſi erat, ne quod is injuria de Valeſio ſentit, ſcilicet exiſtimaſſe illum *Verſionis ſuæ gloriam aſſurgere non poſſe, niſi Rufinianæ depreſſione*, illud ipſum mutatis nominibus aliquis Valeſii vindex potiori jure in eum retorqueret.

Præterea, quum in tironum gratiam ſuum illum laborem ſuſceperit, atque ea ſit juvenum natura, ut quem ducem ſibi conſtituerunt, eundem poſtmodum religioſe ſequantur, illius effata alte imprimant animo, tenaciterque retineant; diligenter ſibi cavendum erat, ne quid ipſi excideret indigeſtum, mancum, aut a vero alienum; cujuſmodi multa offendet Lector in ejus opere. Exempli gratia

quum

quum Lib. IV. Cap. VI. pag. 184. Nota (d) de libro, cui titulus *Altercatio Jasonis & Papisci*, qui Aristoni Pellæo tribuitur, ait solam extare *Præfationem* inter S. Cypriani monumenta: quum revera nihil ejus supersit, sola vero extet *Epistola Nuncupatoria* Celsi cujusdam, qui opus illud e Græco in Latinum sermonem verterat, ac Vigilio cuidam Episcopo dicaverat; quem nos Vigilium Tridentinum Episcopum & Martyrem esse posse, contra Criticorum assertionem, alibi probavimus. Quum itidem Lib. VII. Cap. XXVIII. pag. 453. Nota (k) Valesio *palmarem lapsum* objicit, quod duos Agathobulos Philone, & Josepho antiquiores fecerit; *Quis enim ignoret* (ait ipse) *juniorem Agathobulum, qui Adriani temporibus floruit, longe posteriorem fuisse non Philone modo, sed & Josepho?* : quando Valesius ipse in Notis ad Eusebii Cap. XXXII. Lib. VII. hæc in hanc rem habet: *Duos fuisse Agathobulos cognomento doctores, scribit Anatolius. Sed quod eos Philone, & Josepho vetustiores facit, vereor ne opinione sua falsus sit. Nam Agathobulus Philosophus floruit temporibus Hadriani, ut scribit Eusebius in Chronico, & ex illo Georgius Syncellus*: Videat, quæso, Lector quo animo Valesio errorem circa junioris Agathobuli ætatem objicere poterat P. Cacciarius, quum

ex

ex illius fonte, ex quo ſæpius hortulos ſuos irrigavit, eruditionem fortaſſe illam hauſiſſet. Quum denique (neque enim ſingula eruditi Viri ſphalmata atque alucinationes hic perſequi animus eſt) profitetur, ſe de una alterave re fuſius in hoc ſuo opere diſputaſſe, atque eo Lectorem remittit, tametſi ejuſdem rei ne verbum quidem uſpiam inveniatur. Cujus nos fallaciæ exemplum quidem dedimus Paragrapho XI. ſed nunc unum alterumve addere lubet.

Part. III. §. II. pag. 154. Diſſertationis Apologeticæ, quum hæc ſibi Curterii verba objeciſſet: *Rufinus (quod merito reprehendit Hieronymus) in Euſebio reddendo parum integre ſe præſtitit*, continuo ſubdit: *Scilicet Curterio, docto quidem Critico, ſed ſatis credulo, impoſuit Chriſtophorſoni oſcitantia: nihil enim ejuſmodi occurrit in Hieronymo; ut paullo infra oſtendam.* Qua de re nihil præterea legere eſt ſive infra, ſive ſupra, ſive in toto ejus libro. Et ſane qui, quæſo, hoc oſtendiſſet, cum quem in Curterio errorem, quam in Chriſtophorſono oſcitantiam comminiſcitur, inveniam ego certe nullam.

Eadem propemodum ſin minus arte, at certe imprudentia (neque enim doloſe id ab eo factum exiſtimaverim) Lectorem ſpe ſua fruſtratur ipſo ſtatim operis ſui initio; nam pag. 1.

1. Nota (b) in Præfationem Rufini ad Chromatium, postquam dixisset, suspicari se Rufini Versionem prodiisse anno Æræ Vulgaris CCCCII., ait: *Consule alteram Partem nostræ Historicæ Dissert. Tom. II.* Sed neque in laudata Dissertationis illius Parte, quæ circa Rufini fidem tota versatur, neque in proxime subsequenti, in qua de Rufini Translatione agitur, quicquam invenire contigit de anno, quo eam auctor compleverit.

Idem dicito de Nota (k) in Cap. I. Lib. V. pag. 253. in qua his verbis præmissis: *An vero pluris habenda sint Græca exemplaria, quæ nostris temporibus circumferuntur, totque amanuensibus fœdari potuere, quam quæ Ruffini ævo, qui sæculo quinto ineunte scripsit, hoc est septuaginta circiter annos post elucubratam Eusebii Historiam?* statim addit: *Consule nostram Præfationem*. In ea enim Præfatione de hac controversia num pluris facienda sint Græca, quæ Rufinus adhibuit, exemplaria, an ea, quæ nunc habemus, altum silentium; quum nude, nullaque addita probatione dumtaxat afferat, Græcos Rufini codices *purissimos* fuisse, recentiores vero *omni sordium genere scatere*.

Rursus Lib. VI. Cap. XVI. pag. 358. Nota (c) ait: *De Gajo, seu Cajo, consule Adnotationes nostras ad Cap. XXI. Lib. IV.* At qui

Ad-

Adnotationes illas consulet, nihil profecto inveniat. Cajum illum memorat quidem Lib. II. Cap. XXV. pag. 107. Nota (b) nihil tamen ibidem affert, ad quod inspiciendum eo Lector mitti mereatur.

Sed ut ad propositum revertamur, & quæ hactenus fuse disputata sunt, in pauca contrahamus; concludimus tandem, Rufinum in Græcis vertendis *elegans* revera, ut *Gennadius* ait, *ingenium habuisse*: ejus tamen versiones, præsertim Eusebianæ Historiæ, minime sinceras esse; non quod optimis Græcis codicibus destitueretur, sed quod genio indulgens suo, aliorumque vestigiis ægrius insistens, liberiori quodam transferendi genere delectaretur, quo cuncta, quibus calamum admovebat, interpolabat. Id non modo recentiores, sed veteres quoque, ut *Sidonii* auctoritate probavimus, agnoverunt, testatique sunt. Ex quo illud consequitur, Rufiniana Additamenta ejusdem non esse ponderis atque ea, quæ Eusebium agnoscunt auctorem; proindeque Rufini Versionem neque *veritate*, neque *auctoritate*, ut eruditus P. Cacciarius concludit Part. IIII. §. IV. pag. 174. suæ Dissertationis, recentiorum versionibus anteferri debere.

FINIS.